



INSTRUMENTA  
VIRTUTUM  
SEU  
BONORUM OPERUM.  
CONTINUATIO  
Sive  
PARS IV.

Complectens  
Octo selectas Virtutes à S. P. BE-  
NEDICTO conscriptas, & praescriptas in  
sacræ Regulæ Capite IV.

*Quæ in Religioso desiderari possunt,  
& amari ac suscipi etiam in Seculari.*

AB INSTRUMENTO LXVI. usq; in finem.

*Ex quibus*

Non solum Religiosi omnes, omnes Eccle-  
siastici, ac Verbi Divini Præcones, aut animarum Di-  
rectores, sed & alij piè vivere volentes seculares  
& Sodales, uberem utilitatem po-  
haūrire.

AUTHORE

P. BASILIO FINCKENEIS, Ordinis S. Be-  
nediti, Liberi & Exempti Monasterij ad S. Lam-  
bertum in Styria Professo.



CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ  
REGIÆQUE MAJESTATIS.

340 VIENNÆ AUSTRIÆ,  
Typis JOANNIS JACOBI MANN, 1691.

**REVERENDISSIMO, PER-**  
**ILLUSRI ac AMPLISSIMO**  
**DOMINO, DOMINO**

# **FRANCISCO**

Celeberrimi Liberi & Ex-  
empti Monasterij ad S. Lamber-  
tum, & Cellas Marianas in Styria, Or-  
dinis S. Benedicti

**ABBATI**  
**VIGILANTISSIMO.**

Præposito in Afflentz &  
Pyber.

SAC: CÆS: MAJ:  
**CONSILIARIO.**

*Domino Domino Præfuli suo  
Gratiosissimo.*

**U**T exili operi meo de Instrumentis  
bonorum operum felicem coronidem impo-  
nam ; pro coronide eorum , Partem hanc  
**TIBI REVERENDISSIME AC AMPLISSI-**  
**ME DOMINE DOMINE PRÆSUL** demississime consecro , Tuisq[ue] eam pedibus mecum subster-  
no. In **TE** requiescere gestiunt ( quæ haec tenus unâ  
mecum semper in motu fuerunt ) hinc inde mecum  
Peregrinata Instrumenta , & in varijs elaborata offici-  
nis. In Monasterio namque **TUO** primitus fabricari  
cœpta sunt , sed interrupta Philosophiæ occasione . In  
dominio & Præpositura Pyberensi ante quadriennium  
penes ejusdem Philosophiæ præparationem reassum-  
pta . Salisburgi penes ejusdem Philosophiæ doctionem  
revisa , perpolita , & in ordinem talemqualem redacta .  
Tandem Viennæ ad finem qualemqualem & colo-  
phonem sub hisce **TUIS** Auspicijs deducta ; Ubi tan-  
dem velut in centro suo requiescere gestiunt . Quæ  
proinde Pars aut melior aut acceptabilior erit , quia  
finalis ; si verum est , quod dici solet : *Finis coronat opus.* Et hinc est , quod pro humanitate **TUA** & hu-  
militate , Partem hanc quamvis ultimam , haud ulti-  
mo loco habeas , neque respucas , quin eam Tuâ gra-  
tiosâ licentia Nomi ni **TUO** inscriberé , & Honori de-  
bito consecrare liceat . Ea enimvero est humanitas ,  
Comitas & Clementia **TUA** , ut nec dubitare de æqui-  
tate facti velis , nec irasci piæ intentioni possis . Sciens ,  
quod sæpe id , quod in executione est ultimum , in in-  
tentione primum fit . Hinc ergo juxta innatæ huma-  
nitatis leges , comite humilitate , honorem extraneis  
prius deferri consenseras atq[ue] concesseras , quām Tibi .

## DEDICATIO.

Vel ideo omni & primo honore dignissimus. Igitur  
in fine tandem, ut finis coronet opus, cum hac finali  
Parte ex Austria Inferiore ad Interiorem Austriam re-  
deo, & ad Te revertor Domine Domine **PRAE SUL**  
**REVERENDISSIME.** Quadriennium enim est,  
ex quo me à **TUO SINU** Paterno elongatum, & à  
Monasterio veluti ab uberibus Matris abstractum, ad  
Celeberrimam Salisburgensem Universitatem trans-  
misisti in indignum pro tertia vice Philosophiae Pro-  
fessorem; inde biennio reversum, & ad Te Tuumq[ue]  
Monasterium, velut ad Paternum & Maternum sinum  
denuò recurrentem, denuò quasi à sinu Patris & Ma-  
tris abstractum, in Celeberrimum Austriæ Monaste-  
rium Viennæ, ad Scotos nuncupatum, pro iteranda  
biennali Philosophia dilexisti. Explevi iussa; & com-  
pleto iterum biennali cursu Philosophico, ad Te ve-  
niens, munus tecum defero, non quidem Philoso-  
phicum sed Asceticum. Nam bene conveniunt, & in  
una sede morantur tum Philosophia, tum vita Asce-  
tica. Quid enim Philosophia est Platone teste, *nihil  
mortis meditatio? aut Cicerone teste, rerum Divinarum  
humanarumq[ue] contemplatio.* Nihil ergo inconveniens  
vel absolum est, aut Ascetas philosophari, aut Philo-  
sophos vitam agere Asceticam & Contemplativam,  
aut verius, mixtam; miscendo Ascetica Philosophi-  
eis, Philosophica Asceticis. Nec ab instituto Religio-  
nis & Asceseos alienum est in vigilare studijs, nec à stu-  
dijs alienum invigilare Religioni. Prout & domi seu  
in Monasterio Tuo amico fædere literarum utilitatem  
cum virtutis necessitate conjungendam putas, & am-  
bas simul doceri, exerceri que facis; adeò ut Mono-  
sterium Tuum jam sit communis quædam *tum vir-  
tutum tum literarum* schola. Ex utroque igitur stu-  
dio flores quosdam meliores & fructus colligere stu-  
dii. Philosophicos seu prophaneæ Philosophiae flores  
& fructus, dudum Nomini Tuo sacravi **DOMINE**  
**DOMIN**

## DEDICATIO.

DOMINE PRÆSUL REVERENDISSIME ;  
punc alios ( quia varietas delectat ) fructus aut flores  
exhibeo ex Asceticæ seu cœlestis Philosophiæ virida-  
rijs excerptos, & in unum cumulum collectos, quos  
unâ mecum, profundissima humilitate TIBI submitto.  
Fructus ut octo bonos esse confido, vel ex eo quod  
octo finalia bonorum operum Instrumenta compre-  
hendant, quæ S. P. Benedictus serebat & inferebat in  
Regulæ suæ Capite IV. Octavus numerus, numerus  
perfectionis est. Octava enim perfectio cujuslibet rei,  
perfectio summa est ; & ut S. Maximus loquitur, *octa-  
va perfectio, perfectio summa virtutum est.* Ut igit  
tum munus perfectum offerrem, octo finalia offero vir-  
tutum seu bonorum operum Instrumenta, velut octo  
Beatitudines inchoativas, quibus operari liceat & lu-  
cerari beatitudinem illam cœlestem & æternam. In-  
strumenta hæc quamvis bis quatuor, pauca tamen  
sunt respectu multorum & plurimorum titulorum,  
quibus Tibi sum inter filios Tuos obstrictissimus. Si  
enim Alexander Macedonum Rex se magis obligatum  
agnovit Magistro quam Patri suo ; eò quod ab hoc  
non nisi vitam mortalem, ab altero vitam sapientem  
habeat ; pari jure fateor, plus me Tibi, quam naturali  
Parenti debere, qui vitam non naturalem, sed Religio-  
sam & Monachalem mihi dedisti. Sexcentas alias gra-  
tias & beneficia taceo : pro quibus dum gratissimum  
exhibere me cupio, eorum è numero mihi meti ipsi esse  
vidcor, qui cum multum debent, solvunt parum, quia  
parum solvere possunt. Vel qui ex asse debitum sol-  
vere volentes, cum mille aureos seu 24000. asses de-  
berent, solverent florenum seu asses octo. Pro mille  
aureis titulis, Paternis favoribus & gratijs, quibus Tibi  
devinctissimus sum, asses octo exiguos, seu octo Vir-  
tutum Instrumenta humiliter defero, non quidem in  
debiti ullius exolutionem, sed in contestationem &  
recognitionem, in gratitudinis & debitæ observantiae

## DEDICATIO.

tesseram. Et hoc est, quod titubantem erigebat animum, num præsumere auderem, quod præsumo; scilicet tam exilem, vilem, modicum, & ultimo loco habendum libellum Reverendissimæ & Amplissimæ **DOMINATIONI TUÆ** dicare. Et deterritus ab intentione mea sancta fuisset, nisi sanctè novissem, multum referre, non quid aut quantum, sed cui offeratur quidpiam. Tibi quippe **REVERENDISSIME DOMINE DOMINE PRÆSUL** ea est animi Magnificentia, ut etiam parva obligationis suæ recognitio apud Te magna sit obligationis suæ satisfactio, præsertim ubi plus deferendi & satisfaciendi, vires defunt & occasio. Etiam teruntium pro integro talento recipis & boni consulis, si (qui dat) plus dare non potuit. Si igitur impudentiæ aut temeritatis arguar, **DOMINE DOMINE PRÆSUL REVERENDISSIME**, quòd tam parvum, ad tam modicas pagellas redactum opusculum offerre præsumam, Tuum defende Clientem, & excusa, excusatumque habe; si enim mole parvus est, saltem virtutibus quas continet, ut octo magnus est. Nam etiam in nuce latet quondam *integra Homeri Ilias*: Etiam in parvis sæpe magna virtus latet, & quidem in hoc parvo libello virtutes octo; quæ hodie sub Tuis Auspicijs lucem primitus aspiciunt. Ea enim virtutum qualiumcunque & bonorum operum sors & conditio est, quòd latere non debent, sed videri gestiant. Dicente Christo: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Eadem proinde etiam erat meis bonorum operum Instrumentis in lucem propensio, ut vel maximè *TUIS* sub Auspicijs tandem finiri & completere in lucem prodire gestirent, ut à *TUI* (cui inscripta sunt) *NOMINIS* splendore, tanto magis eluescant & illustrentur. Sit ergò parvus iste libellus, modo clarus sit. Clarum vero fore spero, tum ob claritatem Amplissimi *NOMINIS TUI*, tum quia octo

## DEDICATIO.

octo præclaras virtutes & totidem opposita vitia, veluti admotâ luce clarè demonstrat, & docet quid fugere, quid agere debeamus. Scilicet *nullum odire*, sed charitatem habere ad omnes: id quod sanè Tu facis, dum Filijs Tuis omnibus & singulis, charitate conjunctissimis, Paternè in omnibus prospicis & provides, seu Paterno quasi in sinu circumfers & foves. Docet Zelum non gerere nisi sanctum, Zelum verò invidiæ procul abjicere: Quantus verò & quam sanctus Zelus Tuus sit in promovendo Dei cultu & virtutis incremento, nemo ignorat. Docet *contentiones non amare*, nisi quatenus ad virtutem, ad perfectionem & perfectionis apicem contendendum est, & ad jugiter promovendum DEI cultum & gloriam. Hæc contentio Tuæ **DOMINE DOMINE PRÆSUL REVERENDISSIME** est; Cæterum erga omnes mitis, affabilis, mansuetissimus. Qui enim tranquillitatem oris Tui, morumque suavitatem considerat, videt omnes inordinatas contentiones & humanas tempestates à facie Tua longè abesse: Nil nisi pacatum appetet in scena vultus Tui. Docet elationem sive jactantiam fugere, scilicet vanam & inanem. Tu quamvis utriusq; hostis sis, elationem tamen sanctam piamq; ejus loco colis & prosequeris, dum gloriaris in adversis. Ut possis cum Paulo dicere: *Abiit mihi gloriari, nisi in cruce*; quæ sane frequens tibi obtingit & obtigit. Item illud Apostoli: *In nullo gloriabor, nisi in infirmitatibus meis*; quæ te variæ vario tempore circumstant. Cæterum quam elatio & jactantia sit longè à Te, noverunt omnes, qui noverunt Te. Quicunque Te audierunt loquentem, humilitatem, humanitatem, affabilitatem, & Modestiam deprædicant TUAM, & elongationem longam ab omni elatione & jactantia. Docet seniores venerari & juniores diligere. Tu utrumque facis: Seniores in honore, juniores habes in amore, ut omnes fatentur & fateri debent, quicunq; Paternum

## DEDICATIO.

Tuum & plus quam Paternum sunt experti affectum.  
Docet pro inimicis orare. Verum pro quo orares,  
(puto) inimicum non habes, quia eae Tibi tum virtu-  
tum tum naturae dotes sunt, ut qui Te viderunt, no-  
veruntque, omnes occultam quadam & suavi violentiam  
in Tui trahas amorem & Venerationem. Docet de-  
mum pro coronide sperare in Domino, & nil desperare  
de manu Domini. Tibi tanta semper fuit in Deum  
fiducia, ut inter pressuras gravium difficultumque tem-  
porum, nunquam animo concideris, nunquam ani-  
mum desponderis, nunquam meliora secutura (quod  
& factum est) desperaveris. Spes confusa DEO, nur-  
quam confusa recedit. Nec spes Te defellit, nec falset  
impostorum. Ita sane auguro ego (forte non vanus  
Augur) quamdiu Tu vixeris, & Monasterio Tuo fa-  
ventibus Superis praefueris, beatum erit, & bene illi  
erit. Recusabas omnibus viribus fieri Abbas; accep-  
tare tam bonum opus sed grave onus refugiebas; Nisi  
verò acceptasses, S. Lambertum & omnes Superos of-  
fendisses. Quantum enim Monasterio contuleris bo-  
ni, testabuntur bona Monasterij, quorum alia antehac  
alienata, in Salisburgenfi Provincia redemisti; alia  
verò dudum alienata & dudum recuperata, & nunc  
novarum imò antiquarum litium infelici exitu (si  
evenisset) rursus alienanda, feliciter conservasti; alia  
demum bona, hostium irruptione & ruinā ruinanda,  
seu de ruina in nupero bello Turcico periclitantia, per-  
sonali Tuā præsentia, consilio & auxilio, contempto  
hostium metu & vitae periculo, fortiter & prosperè  
protexisti. Quem sane Martiæ animum experta est  
& adhuc testabitur Styriæ vallis Martia. Providè igi-  
tur & prosperè Divino Confilio electus in Abbatem es,  
& quidem Anno sexagesimo secundo, die secunda Maij.  
Quis non omnia secunda præfigisset? Et fatemur:  
Nobis dies ille & annus quam maximè secundus fuit.  
Quia ex quo Abbas esse cœpisti, plus nobis & commu-

## DEDICATIO.

ni bono, quām Tibi serviens, sic Monasterio profuisti,  
sic servijsti, ut possis cum Symbolista dicere ( adscripto  
candelæ lemmate ) alijs *in serviendo consumor*. Ecquid  
mirum esset, si dudum Te curæ & adversa facta, ac fa-  
talia ( dura, ferrea ) tempora consumpsissent, nisi Te  
Superi pro communi Monasterij bono, & Ordinis or-  
namento, speciali protectione servassent. Septimum  
enim jam agit saeculum à fundatione sua liberum &  
Exemptum D. Lambertii in Styria Monasterium, Te pro-  
inde aureo dudum præterlapso, in saeculum ferreum in-  
cidere necesse suit, qui ferreo animo, naturâ ferrea, ad  
hoc à DEO datâ, ferre posse adversa omnia. Dura  
( nemo nescit ) obtigerunt Tibi & gloriose administra-  
tioni Tuæ tempora, ut omnes has temporum difficul-  
tates superasse, aut superare velle *Herculis sit decimus*  
*tertius iste labor*. In vigilia enim Inventionis Sanctæ  
Crucis felix electio Tua facta est ; utique bono omne :  
Crucem enim ( quam non quæsieras, sed subterfugere  
voles ) invenisti, in hæc duriora tempora incidens.  
Nec miror, quod Crucem invenieris ; hoc mirandum,  
quod Tu in Cruce inventa Te ipsum semper & ubiq; in-  
venieris ; &, ut proverbio aiunt : invenire te probè sci-  
veris. Premebant premuntque te ( quis nescit ? ) ad-  
versa ; ast non suppressunt, nec suppresserunt unquam.  
Quæ singillatim in memoriam revocare, quamvis è  
laude Tua id esset, quid tamen esset nisi musica in luctu ?  
seu musica luctualis & importuna narratio ? Sed quid  
mirum ? Fortes fortia decent. Viri fortes fortibus  
adversis probantur. Tanta vero Tibi fortitudo & mag-  
nanimitas est in ferendis & gerendis adversis æquo  
vultu & animo, ut talem æquanimitatem non sit vide-  
re facile in alijs. Quidquid Crucem hanc ( ubi enim  
honos est, ibi onus ) jam tringita annis feras & tuleris  
feliciter. Si trinum perfectum est, ter decies perfectus  
es ; qui ter denis jam annis tulisti pondus & æstum sub-  
missi Tibi ( & Tui submississimi ) Monasterij. Nimi-  
rum

## DEDICATIO.

xum spes confusa DEO nunquam confusa recedit. Verum sicut spinæ rosas, sic Cruces pariunt gloriam exaltatæ; gloriam nunc in terris, gloriam olim in cœlis. Et haec quoq; Tibi pepererunt & parient. Memorat Wadingus in Annal: Min: spinas D. Benedicti germinasse recentes rosas ad præsentiam & contactum S. Francisci Seraphici. Tu qui Franciscus es, Nomen habens & omen, eadem sorte Te felicem puta; ex spinis quas superasti, quid nisi rosas collegisti, & colliges in scros annos, servituras Tibi pro ferto & corona immortalitatis? Hisce rosis Tuis admisceo flores & fructus virtutum, honorumq; operum, quos paucis hisce folijs inscriptos vides, imò verius, quos ipse vivos geris, foves & circumfers in pectore: Exprimis enim in factis, quod ego imprimi feci in chartis. Plura dicere superfedeo, ne peccem in humilitatem Tuam, qui mavis laudanda facere, quam facta laudari. Unum tamen præterire non possum: illud nimirum, quod etiam metacente saxa loquuntur, quo Zelo & cultu feraris in Cœlites, & sacras Cœlitum ædes, ut dicere & Tu **D O M I N E D O M I N E P R A E S U L R E V E R E N D I S S I M E** cum Rege Davide possis: *Domine dilexi decorem domus Tua, & locum habitationis Tua.* Zelus domus Tua comedit me. Enim verò quid aliud loquitur nisi Zelum hunc ingentem S. Ægidius in valle Affentina, cuius honori insignem Ecclesiam funditus erexisti, ampliasti, ornasti? Quid aliud nisi Zelum domus Domini & cultus divini loquuntur binæ Ecclesiæ Parochiales S. Petro sacrificæ, domi & in Afflenz? Ecclesia S. Jacobi in Turnau & illa S. Leonardi in Seewisen, pluresque aliæ, quas (squalore antiquitatis deterso) sic reformasti, ut meritò omnes penitus novæ, non sine splendore & folatio videri possint & videantur ab hominibus. Præterea nova, imò novissima singularium Ecclesiarum Altaria, aut Sacella noviter erecta, nec non sacram supellectilem, quibus Ecclesiæ passim, imo ubique exornasti.

Prae-

## DEDICATIO:

Præterire tamen non possum binas magnificas ædiles & Basilicas MARIANAS D. VIRGINI CELLENSI & HOFFENSI sacras. Hoffensem propè Neoforum, ea venuſate reformati, cā perfectione consumasti, eo splendore illustrasti, ut nomine & omine verè mereatur dici, quod dicitur, nempe AULA B. MARIAE VIRGINIS. De Cellensi Basilica haud opus est mentionem facere, quo Zelo laboraveris, donec laborem & ædificium Basilicæ illius non sine immensis sumptibus ad colophonem & finem perduceres. Quod Antecessor Tuus pijissimæ memoriæ piè inchoavit, hoc Tu feliori sorte feliciter consumasti, sive exteriores Ecclesiæ turres & tefta, sive interiùs Ecclesiam ipsam considerem; idque tantò laudabilius & plausibilius, quantò duriora consummationi semper obstabant tempora. Ecclesiæ totius picturæ, nec non imagines & figuræ arte plasticâ è polline gypsato confectæ, integra bina gazophylacia, ambæ Sacristiæ, cum ornamentis & appertinentijs suis, & sexcenta alia quid nisi opus Tuum sunt. Pro complemēto verò ornamenti illius Basilicæ nuperrimè fieri fecisti cathedram de marmore Pario sic splendidam, ut ejus splendorem (quotquot audivi) stupeant & admirentur univerſi. Organum novum addidisti novissimè, ad novum & magnum non solum Musices sed & Ecclesiæ splendorem; organum inquam, non auditu solum, sed & visu jucundum. De novis argenteisq; Reliquarijs & Sanctorum Reliquijs quid dicam? præsertim earum, quarum integræ duo Corpora, SS. Eleuterij & Cyrilli, magnis sumptibus, sed non sine magno Ecclesiæ & Gazophylacijs splendore, auro gemisq; (ut de argento tacceam) copiosè exornari fecisti pro decore & ornamento Basilicæ MARIÆ. Usque adeo post DEI cultum magna in Te est Hyperdulizæ virtus seu cultus DEI paræ & Zelus MARIANI honoris! Quæ ut tantò magis conceretur non solum à Te, aut in Cellis Marianis, sed alijs in locis, varijs Confraternitates sacri Rosarij & sacri (ut vacant)

## DEDICATIO.

Vacant) Scapularis instituisti eriq; fecisti. Omitto  
Gonfraternittaem S. Annæ in Pyber. S. Sebastiani propœ  
Cellas Marianas & alias recens-erectas & confirmatas,  
varijsq; gratijs & largis indulgentijs dotatas à Sede Apo-  
stolica. Hæc & pluræ alia sunt monumenta virtutis  
Tuæ & Zeli, quo in promovendam virtutem, in DEI,  
Divorumque cultum ferri soles. Verum quod rapior?  
quo deveniam, si omnes virtutes Tuas & laudes aut  
laudabilia facta enumetare velim. Filum dictionis aut  
potius scriptio[n]is meæ, quamvis veridicæ, abrumpere  
jubet Tua humilitas. Obtempero ergo humiliter. Et ut  
redeam unde digressus eram, unum rogo unice, illudq;  
humillime; ut hæc quoq; virtutum Instrumenta ( sive  
aurea & argentea sint ex parte materiæ, sive ferrea aut  
plumbea ratione formæ & styli, quo ea inconciinne &  
ruditer deduxi ) unacum rudi fabricatore suo ( Cliente  
Tuo insitmo) gratio[s]o sinu excipere digneris, & admit-  
tere sub Clientellam & protectionem Amplissimi Pa-  
trocinij Tui. Hoc si obtinuero, totum quod opto, ob-  
tinui. Imò non totum! sed unicum liceat superaddere  
votum, quod ubi obtinuero, penè, imò plenè beatus  
ero. Nimirum: ut ( qui Monasterio ejusq; ditionibus,  
tum recuperandis tum conservandis, varijs hactenq;  
laboribus fagitus & exercitus fuisti ) benignissimus  
DEUS pro ejusdem Monasterij emolumento & incre-  
mento ulteriori, pro honore suo & solatio nostrum om-  
nium, quam diutissime servet sospitem & incolorem  
in pace & tranquillitate. Qualem promittunt tempora  
præsentia & victoriæ. Ita votet Vienæ in Monaste-  
rio B. M. V. ad Scotos, in Vigilia Natæ Angelorum  
Reginæ. Anno M. DC. XCI.

Reverendissimæ, Per illustris  
as Amplissima Dominationis Tua

Filiorum minimus

P. BASILIUS FINKENAI[us],  
Profes[or]; ad S. Lamb. in Styria.

# PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

LEOPOLDUS Divinâ favente Clementia Elecitus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiæ, Styriae, Carinthia, Carniolæ, & Wirtenbergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium Univerfis; quod cum Religiosus, Devotus Nobis dilectus P. Basilius Finckeneis, Ordinis S. Benedicti, ad S. Lambertum in Styria professus, p. t. Professor Vieñæ ad Scotos, humillime exposuerit, composuisse se cum permisso & licentia Superiorum librum Religiosum, cui titulus est: Instrumenta virtutum seu bonorum operum, id est septuaginta virtutum & bonorum operum genera, &c. Eundemq. Joanni Jac. Mann typis excudendum tradidisse, vereri tamen, ne amulorum invidia illud opus alibi recudentiū impendij & laboris sui fructu frustretur, & propriea Nobis demississimè supplicaverit, quatenus indemnati sua Privilegio Nostro Cæsareo clementer consulere dignaremur: Nos attento hoc supplicantis laudabili studio, ejusdem aquissimū precibus benigne annuentes, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, alijs qz, qui buscunq. rem & negotiationem librariā exercentibus, serio atq. districte inhibuerimus atq. vetuerimus, prout harum vigore inhibemus, & vetamus, ne quis eorum prædictum librum proximo quinquennio à prima ejusdem editione numerando, intra Sac. Rom. Imperij, Regnumq. ac Provinciarum nostrarum hereditariarum fines, simili aut alio quovis modo, typo vel forma, sive in toto, sive in parte recudere, vel alio recudendū dare, vel etiam alibi impressum adducere seu vendere vel distrahere, clam aut palam extra voluntatem & absq. dicti impetrantis in scriptis obtentâ licentiâ præsumat; si quis verò secus faciendo Privilium & interdictum hoc nostrum Cæsareum spernere, neglige

negligere aut transgredi diuisus fuerit, cum non modis huiusmodi libris perperam quippe recusis & adductis (quos quidem praefatus P. Basilius Finckeneus ubicunq; deprehensor, sive propria auctoritate, sive Magistratus loci auxilio sibi vendicare poterit) defacto privandum, sed & pena insuper sex marcarum auri puri ex semisse fisco Nostro Cesareo fraudis vindici, & ex reliqua parte injuriam passum pendendam, spe veniae sublatam, decernimus mulctandam: duummodo tamen predicti operis quaterna exemplaria ad Cancellarium nostrum Imperiale Audicam transmittat, ac Privilegium hoc nostrum sive ejus extractum in capite mentionati libri (ne quis ignorantia pretextu ob locorum inter valla sese excusare possit) imprimi faciat. Mandamus porro universis nostris & Sac: Rom: Imperij, Regnorum & Dominiorum nostrorum hereditariorum Magistratus, Judicibus & subditis tam Ecclesiasticis quam secularibus, cuiuscunq; gradus, Ordinis aut dignitatis fuerint, alijsq; quibuscunq; sive suo sive alieno nomine jurisdictivis exercentibus, clementer prcipientes, ne quemquam Privilegium hoc nostrum Cesareum temere & impudenter transgredi aut violare patientur, quin potius si quos contumaces & transgressores forte conpererint, prescriptam penam alijsq; modis competentibus coerceri eurent, quantum & ipsi supra insertam mulctam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum manu nostrâ subscriptarâ & sigilli nostri Cesarei appressione munitarum. Quae databantur Laxemburgi die vigesimâ tertâ Maij, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Regnum nostrum Romani trigesimo tertio, Hungarici trigesimo sexto, Bohemici vero trigesimo quinto.

## LEOPOLDUS.

Leopoldus Guilielmus Comes  
in Kinigsegg.

Ad mandatum Sacrae Cesareae  
Majestatis proprium.

Lutzo Dolberg

## PARS IV.

## INSTRUMENTUM LXVI.

## Nullum odire.

**U**ltimum prioris Partis Instrumentum, numero sexagesimum quintum erat, *Castitatem amare*. Cui Instrumento S. P. B. statim subjungit Instrumentum præsens: *Nullum odire*. Et meritò quidem. Religiosus enim Castitatem amans, & servans, sed non charitatem, est instar sepulchri dealbati, quod foris splendet, intus fœtet. Castitas sine charitate DEO placere nequaquam potest. Esto ergò castitatem habeas sole puriorum, charitatem autem non habeas, nil prodest tibi. Esto castitatem ames, charitatem autem non ames, sed proximum tuum, aut Confratrem tuum odio habeas, nil tibi prodest castitatis amor, si conjunctum sit odium proximi. Igitur flebiliter deplorandi sunt Religiosi illi, in Religione cæterum castè, bene, piè conversantes, si tamen odio in aliquem forte Confratrem tabescant. A regno jam DEI se separant, qui semetipos à fraterna charitate dissociant, utut maneat castitati, paupertati, obedientiæ conjuncti & adhærentes. Si luceat lux tua coram hominibus, ut videant opera bona, & inter illa castitatis amorem, quid juvat, si ipse cœcuses, & Confratris vel cuiusunque hominis odio excœcaris? Certè qui Fratrem suum non diligit, nec DEUM diligit! Quomodo ergò si sua castitas, vel quæcumque alia virtus proderit? Rectè ergò post præcedens Instrumentum subjungit S. Legislator Instrumentum præsens de odio non habendo

bendo adversus illum, maxime Confratrem. Nam si nullum penitus odire oporteat, multò minus Confratrem.

Castitatem diligere & non DEUM, est oleum & operam perdere. DEUM autem non diligit, qui fratrem odit. Nam si quis dixerit ( ait Apostolus I. Joan. 4.) quoniam diligit DEUM, & fratrem suum odit, mendax est. Hoc enim mandatum accepimus à DEO, ut qui diligit DEUM, diligat & fratrem suum. Ergo DEUM non diligit, qui non diligit fratrem; quid ergo ei proderit castitatem, & alia bona opera diligere?

Motiva igitur ad præsens Instrumentum servandum, & odium fraternum detestandum, possent esse sequentia: 1. Quia nec castitas, nec alia virtus proficit, ubi deficit charitas. 2. Quia odium fraternum non tam dilectionem debitam fratri, quam dilectionem ipsius DEI excludit. Frater enim tuus imago DEI est; qui non diligit imaginem, nec eum diligit, cuius imago est. 3. Quia odium est gravissimum omnium peccatorum: quemadmodum enim omnium virtutum major est charitas, ita universorum vitiorum gravissimum est odium: Odium DEI omnium peccatorum maximum est, ut nemo negat, vel nescit; & expressè id docet, & testatur S. Thomas 2. 3. Q. 34. A. 2. Odium autem fratris, odium proximi, est aliquando odium DEI, ut ante insinuavimus, consequenter fratrem, seu illum odiisse, peccatum longè gravissimum est, ob rationem allegatam; quia qui fratrem odit, DEUM odit. Qui enim dicit se diligere DEUM, & fratrem odit, mendax est. Et certè odium proximi, saltem gravissimum omnium peccatorum est, quæ in proximum committuntur, aut committi possunt, ut docet ibidem S. Thomas. Ergo propter hanc ipsam rationem præ omni alio vitio fugiendum. 4. Quia odium fraternum excœcat, & obtenebrat odientem, ut non cui male vult, noceat, sed sibi ipsi; nam qui

qui odit alterum, prius sibi nocet, quam alteri: alterum enim laedere conatur extrinsecus, sibi nocet intrinsecus; & quidem dupliciter, in corpore & animo. Sic intelligi potest illud Joan. 4. qui odit fratrem suum, homicida est. Se enim spiritualiter (forte & corporaliter) necat, esto alterum non laedat, sed maneat innocuus. 5. Quia odium proximi aut Confratris est contra charitatem erga seipsum, contra prudentiam, contra rationem: Imprudens est, irrationabile est, iahūmanum est fratri odium. Adeoque oportet potius ipsum odium odisse, quam Confratrem. Plus enim nobis ipsum odium nocet, quam unquam Confrater & proximus nocuerit, aut nocere possit. Unde odisse fratrem non possumus, quin nosmetipsos odio habeamus. 6. Quia odium fraternum est causa & origo aliorum peccatorum: Sicut enim ignis diu latere non potest, quin exeat in fumum, flamamque aut scintillas emittat; ita odiam non potest diu latere in corde, quin ex eo exeat rixæ, convicia, scandala, imò & homicidia; Quo sensu etiam intelligi potest illud; qui odit fratrem suum, homicida est. Et juxta illud Gen. 37. 4. Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifico loqui. Unde & dicebant. Venite occidamus eum. Huc etiam reducitur omnis violenta percutio etiam levior, &c. utpote via ad occisionem; quæ omnia ex hujusmodi radice profiliunt. Ut ergo in radice extirpare omnia ista vitia S. P. Benedictus, hiac in discipulis suis proscribit odium. Septimum motivum fugiendi odium est, quia odium vitium est diabolicum, imò diabolus est. Si enim DEUS charitas est (teke Apostolo) sine dubio necessarium est, diabolum odium esse, ait S. Basilius: Sicut ergo, qui charitatem habet, DEUM habet, ita qui odium habet, diabolum in se nutrit: Imò odium non solum vitium diabolicum, sed plus quam diabolicum est. Diabolo enim forte parci posset, quod hominem oderit, cum sit diversa naturæ ab illo:

Quòd verò homo hominem , frater fratrem oderit ; quis excusabit . 8. Quia qui odit fratrem suum , ad ipso fit odio ipsi DEO : Proinde oportet tantum abesse odium à Monacho , quantum quisq; abesse velit à DEI odio . & quantum odium distinguit Christi discipulum à diabolifilio .

Ex quibus omnibus clare vides Religiose , quām merito S. P. Benedictus longē abesse voluerit à suis discipulis omne odium . Quid enim detestabilius aut deplorabilius , quām Religiosos , ejusdem Religionis filios , ejusdem Instituti Alumnos , ejusdem Mensae , & Divinæ , & Profanæ participes , ejusdem Domini Servos , nempè DEI , per odium erga fratrem mancipari diabolo .

Religiosus sine Religioso Spiritu quid est ? nūl homo sine anima , cadaver sine vita . Cadaver Religionis est Religiosus Religioso Spiritu carens . Quid autem est Religiosus Spiritus ( unde Religiosum vivere necessè sit ) nisi charitas ? hāc qui caret , Spiritu Religiosus caret , & vivens mortuus est ! Hāc qui caret , vita spirituali caret & ipse , & omnia opera ejus : & ipse mortuus est , & omnia opera ejus mortua sunt . Si tradidero corpus meum , ita ut ardeam , charitatem autem non habuero , nihil mihi prodest , inquit Apostolus 1. Cor. 13. Si tradideris corpus tuum in supplicia , in mortem in mortificationem ( nescio qualem & quantam ) nil prosunt hæc omnia , ubi gliscit fraternum odium , & discordia . Frustrà sunt jejunia , frustrà cilicia , frustrà vigiliæ , frustrà preces , frustrà omnia . Addo qui vel unum inimicum habet in terris ( quem odit ) nullum amicum habet in Cœlis .

O Regligiosi ( exclamat Religiosissimus hujus etatis scriptor ) amore Domini Iesu , neminem oderitis , ne inimicum quidem : sepeliantur injuriæ , aut etiam graves injuriæ , cadant odia , deponantur similitates , inimicitiae omnes extinguantur ; placeant amor &

& aurea cum omnibus concordia! Nostis, quām male Sapricius Sacerdos, & Nicephorus civis Antiochænus ( Amici quondam intimi ceu fratres ) alter ab alterius se charitate disiunxerit? Dum Sapricius odiorum pertinax, pedem, quem Cœlo jam fixerat, fœdissime retrahens, ejurato Deo, idolis sacrificavit, & semetipsum ad inferos præcipitavit. Oderat Sapricius Nicephorum, Sapricium verò Nicephori Osorem Deus. Periit ergò Sapricius, & meritò! pereat enim, qui servari non vult! abeat ad inferos, qui spernit cœlum! ardeat cum diabolis, qui odia gerit cum diabolis! pereat, qui non vult amare, qui non vult ignoscere; qui Deo ignoscere jubenti, charitatem præcipienti refragatur! *Vide, quæ infra dicentur fusiū de Saprio & Nicephoro, Instrumento 68.* Vos verò Religiosi, si vestræ estis salutis cupidi, si Cœlum anhelatis, si ardere cum diabolis detrectatis, videte, ne contra quemquam mortalium, quidquam simultatis aut odij, vel amaritudinis geratis. Deponite omnem iram, indignationem malitiam, odium, quoniam estis invicem membra. Eph. 4. Agite, & nulla finite succrescere odia in animo vestro; & si quid diffensionis aut simultatis aliquando intercessit, saltem non permittite vulnus retraudescere, aut odium inyeterari.

Monuit Paulus suos Ephesios cap. 4. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur à nobis eum omni malitia;* Plerumque enim formale odium præcedit amaritudo quædam, dum v. g. verbo aliquo aut facto à proximo vel Confratre læsi, ab eo avertimur, & amarescimus, ægréque, & invitè de eo jam audimus, vel cogitamus. Paulò post subsequitur ira, seu effervescentia sanguinis & excandescientia animi. Tertiò exurgit & oritur indignatio, id est ira vehementer accensa; quā correptus aliquis indignatur, romachatur, conqueritur se contemptum aut læsum esse. Tandem hæc indignatio erumpit in clamores, in per-

petuum & continuatum odium & omnem malitiam. Per hosce gradus etiam boni quandoque homines, boni Christiani, boni Religiosi devoluuntur in abyssum damnationis æternæ, qui alias jam fuerant cum Sapientia proximi Cœlo.

Sicut verò Christianos omnes, sic Ecclesiasticas Personas odium dedecet quām maximè. Heu quām turpe, quām miserum est, si illi, qui conciliare debent dissidentes, ipsimet odia alant in pectore, necliant forē tantū in pectore, sed etiam demonstrent in opere; aut saltum sc̄ talem odiſſe cum publico aliorum scandalo profitentur, dicentes, istum non possum pati, istum non possum videre. &c. Quid turpius, quām tale verbum audire de ore Religiosi? Si ullaſ, tunc certe Ecclesiasticas personas odium dedecet quām maximè, qui toties ad divina officia, ad divina Mysteria accedunt, toties templum, toties chorū adeunt, munus suum oblatur; nec tamen vadunt prius reconciliari Fratri suo, sed odia nutriunt. Contra quos sic insurgit S. Hildebertus Cornutensis Episcopus epist. 71. ubi acerrimè invehitur in quosdam Cœnobitas odiorum semina ſoventes) mil inquit, facio cineres, quibus cibos vestros inspergitis, & carnes, quibus abſtinetis; aspernor & rideo nocturnas vestras vigilias: ſylvas, quas incolitis: lacrymas, quas funditis: vičimas, quas immorlatis, honores, quos respuiſti; patriam, quam reliquisti; pauperimonia, quae vendidisti; & panitentiam, quam ſummo rigore peragitis. Detestor in vobis & uestiis paupertatem, & morum integratatem, & operum sanctitatem, & verborion profunditatem, & cogitationum sublimitatam: pallorem vultus abominor, ſquallorem tunice, horrorem cilicij, auſteritatē ſilentij, Cella anguſtias clauſum clauſurā Canobium, & perpetuum carcoren nihil facio, ſi radice odij & discordie in vobis germinat. Clauſtrum ſic uestrum non eſt Paradisus conſitus roſis & palmis, ſed deſertum & ericetum ſcatens rubis & ſentibus. Hoc

Hæc sanctus Hildebertus. Vide in hanc rem plura à  
pud Joan. Paulum Olivam Societatis Jesu Parte I. Cone.  
4. S. 46.

Sed forte hodiè pauci sunt Religiosi, qui Confratrem oderint, aut saltem qui fateantur se odio tabescere. Multi enim sunt, qui dicunt, ego neminem odi, sed fateor tamen, iste mihi est valde contrarius; tunc mihi solum charus est, quando longè est à me: hunc non possum æquo animo aspicere quin bilem moveat. si quæras, quare? Respondebit quia est languidus, tetricus, luridus, vel moribus incompositus, vel quid simile. Vel: quia est naturæ meæ planè contrarius, & antipathicè oppositus; ideoque minus amo illum. Ich hab kein Gemüth zu ihm. Quia eum video hominem esse ineptum, dyscolum, luridum, incompositum imprudentem, indiscretum, insincerum, proditorem &c. Fateor quoties tantū recordor istius hominis, vel factorum, gestuum & dictorum ejus (taceo) dum in conspectum mihi venit, jam natura ipsa alteratur in me, & aversionem concipio adversus hominem hunc, societatem cùm isto habere non possum, mallem potius, nescio quid. Ac proinde fateor, quod ipsum non amem sicut alium, nec illi possum amicabiliter loqui, aut ut fratrem honorare, aut ea charitatis officia exhibere, quæ alijs Confratribus exhibeo; per hoc tamen non sum illi inimicus, Ich bin ihm weiter nicht feind / sondern ich lasse ihn gehen / wie er ist / und wer er ist. Non odi positive; opto potius illi omnia bona, quam quidquam mali, interea de industria consortium ipsius fugio, quia insolitus, crudus, levis, ineptus est. Vel quia hoc aut illud mihi semel fecit, cuius non possum oblivisci; dimitto illi quidem, vindictam non peto, ceterum in æternum non obliviscar illius facti. Et hat mir das und das gethan / also kan ich ihn nicht mehr anschauen / ich weiche ihm ab / wie und wo ich kan. Verzeihen ihm swar / aber vergessen kan

Kan ichs nicht / ich bin ihm zwar nicht feind / aber liebte  
 ist es mir / er sen weis von mir. Hujusmodi plures  
 sunt Religiosorum futilis & inutiles textus ac prætex-  
 tus, ad excusandas excusationes in peccatis. Nimi-  
 rum, qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in teneb-  
 ris ambulat, ut loquitur veræ dilectionis Discipulus  
 ac Magister S. Joannes, epist. I. c. 2. Usque adeò tene-  
 bris Cimmerijs, & cœcâ nocte involvitur osor fratrî  
 sui, ut quem odit, nesciat, nec videat, quod oderit.  
 Hoc morbo, & hac cœcitate ( teste Kesslero in Gemitu  
 Compeditorum 9:) in Religiosis Cœtibus multi labo-  
 rant, quibus stomachus erga aliquos Confratres refri-  
 xit, & charitas extincta est, nec tamen id vident, vel  
 agnoscunt. O miseros sanè Religiosos illos (exclamat  
 cit. Author) qui eos solùm Confratres diligunt, qui  
 suis convenient moribus, cum teneantur seculares  
 etiam suos inimicos, & formales hostes diligere ex  
 Christi mandato. Certè si Religiosus eos solùm dili-  
 gere vult, qui sibi moribus sunt conformes & similes,  
 qui sibi placent in omnibus, à quibus displicantia vel  
 offensio nulla facta sit, quid amplius faciunt quam Eth-  
 nici? Qualis spes sit tali Religioso ( qui aliquem ob  
 quamcumque tandem causam oderit ) qualis in qua  
 spes illi sit cum eodem Confratre conregnandi in regno  
 Cœlesti, quem tantopere aversatur in terra. Perijt,  
 nisi se corrigit, nisi saniora capiat consilia! Siquidem  
 per ipsum & in ipso perit vinculum perfectionis & Re-  
 ligionis, nempe charitas; quæ sola est Artha felicitatis  
 æternæ. Audi Poëtam Religiose, sic concinuentem in  
 hanc rem ( Mezlerus I. 2. ep. 3. )

*Quid magni est, faciles inter vixisse quietum?*

*Indole cùm similes non sit amare labor.*

*Ast malè morati consortia ferre Sodalit.*

*Miti animo, hoc rarum est eximiumq; decim.*

*Durus in errantes ne sis: abs te omnibus horis*

*Consciu humana labi abesse nibil.*

*Cur flomacbarū enim, si non agit alter, ne optas*

*Cum tua displiceant sāpius acta* { Deo,  
tibi,  
alijs,

*Vix alios peccare nibil; fors segnis es ultor,*

*Cum tua sub ferulam propria facta vocas.*

*Deficimus passim, turbamur, fallimur omnes.*

*Porrigat ut lapsa stansq., valensq. manum,*

*Si sapis, in vitijs aliorum lippus; ocellos.*

*Ad mala verte tus conglomerata sinu.*

*Alterius tibi vita creat curan, atq. laborens.*

*Ait est futilitas utilitate carens.*

Non subliskit ille excusationis frivola prætextus, iste homo est mihi naturaliter oppositus, & ex natura contrarius, quia plerumque id falsum est, siquidem ex vito tuo, passione tua, & culpa tua contrarius tibi factus est, non ex natura. Et esto forte tibi sit ex natura ipsa oppositus, esto sit antipathie verè contrarius. Quid tum? Nonne subtus te est appetitus tuus, & tuum est dominari illius? Si juxta naturalem propensionem velis vivere, brutus homo es: non spiritualis homo, sed animalis, de quo dicit Apostolus: *Animalis homo non percipite ea, que sunt Spiritus DEI.* Si conformiter ad naturales instinctus vivis, non vivis secundum Spiritum DEI: & consequenter nec vivificaberis ut membrum Christi à Spiritu Christi. Si naturali inclinacioni standum, si secundum eam vivendum? ad quid ergo præscribitur, vel necessaria est ulla mortificatio sensualitatis, aut refrænatio passionis? ad quid tot monita & præcepta Christi: *hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos: diligite alterutrum, sicut & ego dilexi vos.* Antipathiam naturalem vince principijs supernaturalibus, dilige omnes nullo excepto, sicut & omnes Christus dilexit, & sicut S. P. Benedictus præcipit, nullum NB. nullum odire, quantumvis ex natura contrarium. Natura superanda est: hinc Scriptura

tam frequenter, tam acriter inculcat supprimendam esse vitiosam inclinationem quamvis naturalem, intrandum esse per angustam portam, Regnum Cœlorum vim pati, &c. Ergo vim infer tibi, & naturæ, & factum nullum oderis. Cur (quæso) vis permettere prædominari in te naturam corruptam, passionem inordinatam, & diabolum instigantem? & prædominari non permittis gratiam excitantem, gratiam adjuvantem? Nè quæso oderis Religiose, quem tibi natura fecit contrarium, sine sua culpa, quia Confrater tuus est, Commembrum tuum, Membrum autem Christi. Putas te odire inimicum tuum (ait S. Augustinus) & odire fratrem tuum, & nescis?

Replicas: non odi illum, sed antipathiam naturam habeo: Quod natura dedit, tollere quis poterit? Sed contra est, quid hæc antipathia tua est, nisi palliatum odium? A natura dicens esse contrarium, qui solum ex vitio tuo tibi contrariatur. Nimurum verissimum est, quod ait Apostolus: qui fratrem suum odit, in tribus est usque adhuc. I. Joan. 2. fratrem suum odit, & nescit. In tenebris ambulas, & nescis, quod vadatis. Dico enim (ait Kesslerus) odium est, non antipathia. Nec refert, quod eum non laedas, nec laedere cogites exteriori facto, si tamen te avertas ab ipso, vel corporis gestu, vel etiam solo mentis affectu. Beliæ etiam si natura feroce, nunquam, vel raro aggrediuntur hominem, nisi lacestite, aut extremâ fame compulsa: & tamen hunc hominem, hunc Confatrem aggrederis non lacestitus ab illo, quid enim tibi mali fecit? Desectuofus est, ineptus, talis & talis à natura, &c. Quid hoc ad te: sit ille, qualis vult aut potest; tu sis, qualis debes. Ad te ipsum reflecte occurlos, & invenies in te ipso potiores causas, displicendi tibi ipsi, quam in altero. Sæpè certè quæ fratres tales faciunt, quæque tantoperè in illis tibi displicant, peccata non sunt, vel saitem non gravia, adeoque nec res hæc

hæc offendunt Deum, si tantum defectus sint naturæ; nec eis Deus propterea irascitur; Et Religiosus in hoc passu delicatior Deo sit? ut illis propterea irascatur, & indignetur? an avertet se ab illo & propter illud, à quo & propter quod se ab illo non avertit Deus? pesimè Religiosus facit, qui sic facit.

Reponis: sed semel offendit sat graviter. Er hat mir ein grobs Stückel bewisen / jetzt ist er mir von Natur zu wider. Quoties mihi obviat, memoriam illius facti refricat, ideoque declino illum, utpote mihi jam antipathicè oppositum. Cœterum non odi illum. Sed dic (amabō te) nonne palliatum hoc odium est? & si odium non est, scandalum est, & hoc ipso odisti cœteros, quibus non parcis nocere scando? Etanne bene tecum erit, si tibi Deus, eatenū sit propitius, ut to quidem non oderit neque lœdat, avertattamen faciem suam à te, & mente semper revoluat peccata tua, ut nec oblivisci eorum possit, aut veſit, nolens signa specialia amoris exhibere tibi, quin potius gratiam politiuam, misericordiam & plenam veniam tibi subtrahat, nonne miser & miserabilis es? Ergo nec tu fac similiter. Si tibi frater tuus ex levi forte causa, vel offensa adhuc tam gravis est, ut non possis ei quidquam pacificè loqui, quid in agone erit? ubi omnes dœmonum machinationes eò collimabunt, ut coacervent & resuscitent in te singulas offensiunculas illas, quæ te forte tunc (si possibile est) ad odium formale concitent charitate derelictā, sine qua æternū peris: ita ut si sic (quod absit) morereris, æterna morte morereris.

Hæc & plura hæc tenus adducta, non mea sunt, sed videnda apud cit: Kesslerum gem. 9, ubi inter alia addit: serio & sedulò attendendum in Novitiatu esse, qualiter in simul convenient duo; atque jam tunc maturè pestem se prodere per invidias ad invicem habitas, per delationes cum amaritudine & impatientia fa-

factas, per iurgia &c. Non quòd non etiam Seniores hæc pestis sæpe invadat & præfessione provectiones; sed quòd etiam & vel maximè in junioribus jam se prodat morbus iste; Quippe junior etiam urtica

*Urit mature, quæ vult urticamanere.*

Sed, quæres, quodnam remedium sit contra ejusmodi odium & antipathiam? Mei loco respondeat præfatus Kesslerus, qui asserit remedium efficacius essem nullum, quam humilitatem; & sine hac medellam non esse, nec spem. Ita ut si velint hanc pestem edomare, cogantur interius & exterius per talia motiva se cogere quodammodo ad hoc, ut eidem ipsi (contra quem stimulantur antipathiā suā, (ut ajunt) parati sint se subiçere; unde ad hoc ipsum omni conatu allaborandum Superiori est in eo humiliando, eumque alteri, quem aversatur, subiçiendo in juventute celebriter, secus evadent hi leonibus & leopardis intrastantibus, minis aut pœnis coercebuntur ab exasperationibus suis & odijs in juventute haustis & sub antipathiæ schemate palliatis. Nam crescente ætate crescunt & vitia, nisi mature eradicentur. Si enim causa & res penitus introspiciatur, unde originem suam trahat grave odium, quod sæpe aliquis gerit adversus hunc vel illum, invenietur sæpe aliud non esse: quam suspicionem de altero dudum conceptam forte in Noviciatu vel Junioratu, quòd derideatur ab illo, qui certè nullum erga se respectum habeat, vel quid simile. e. g. manum alter non admovet, sive non adjuvat in tractando libro, movendo scanno, portando hoc vel illo: in eligendis rebus etiam levibus (v. g. scopis) sumit meliores, &c. vel amat, laudatur, fovetur magis à Superiore: Absoluto opere citius vadit ad Cellam, vel etiam diutiùs emanet è Cella, &c. iste erat contrà frequentiā corripitur, vel eidem postponitur, &c. ubi vides aliud non esse quam invidiam aut impatriationem.

tientiam animi ab initio, sed cum tempore desinen-  
tem in odium, præsertim si cum tempore æmulum,  
quem optat potius confundi & humiliari, videat meli-  
us & honoratius tractari, foveri, ac promovéri, quam  
ipse cum fovendum ac tractandum putet; vel excusari  
& defendi, dum in aliquo accusatur. Semper à parvis  
initijs maxima quoq[ue] suum sumunt incrementum: è par-  
va indignatione odia magna. Principijs ergò obstan-  
dum est.

Cujus rei exemplum stupendum affert idem Aü-  
thor, de Religioso quodam laborante consimili odio  
adversus quendam Confratrem suum, undeundè  
Origo ejus fortè levi ex causâ sumpta sit. Insequebatur  
ergò, & persequebatur Religiosus ille (nomen de in-  
dustria reticetur) alterum passionibus suis penè ad in-  
saniam, undè etiam parvum abfuit, quin ad verbera,  
ob antipathiae vel potius odij vehementiam devenis-  
set. Fuit enim præ nimia passionis vehementia, &  
intensis cogitationibus tumidis totaliter fatigatus, &  
viribus in tantum destitutus, ut pedibus (ipsomet hæc  
omnia fatente) insistere non potuerit. Nec volebat  
desuper culpam agnoscere, quod ipsem in causa ho-  
rum malorum esset (ut dici solet: Erthut ihms selber)  
sed sine culpa innoxius, & corde rectus esse aut potius  
videri voluit, afferens: se nullo prorsus odio stimulari  
contra alterum, quem tamen tantoperè avertabatur.  
Sic nimirum fit, quandò principijs non obstitut: In-  
credibile enim est, quam speciosè, quamque callidè se  
hic amor proprius imò diabolus insinuet, Religiosum  
unum contra alterum concitans, ut, nisi statim occur-  
ratur eo deveniatur, ut demum vix sibi possint ab infa-  
nia, verbere, cæde, adeoque à gravissimo odio, &  
vindicta temperare. Fitque id non advertentibus illis  
misericordia & periculose statum suum, ita ut etiam  
totaliter vindicativis & tumidis cogitationibus gravi-  
di & gravati incedant, gravamen suum ac gra-  
vem

vem noxam , culpamque , vel certe grave periculum non advertant ; prout & ille , de quo loquimur , assereravit se minimè advertisse , & quasi per inadvertentiam eò devenisse ; donec tandem divinâ adjutus gratia non sine magno cordis dolore serò sed seriò cœcitatem suam , & odium cœcum deplorans , mœres vitamque correxerit , ita ut non tantum offensus illi amplius non manserit , sed etiam offensiones multas , multas mordacitates & confusiones ab ipso deinceps ( forte excedæ virtutis causâ ) illatas , patienter imò libenter ultrò visus fuerit tolerare ; cum reflexione semper , & agnitione miseriæ , in qua priùs tanto tempore suâ expulsa fuerat .

Quæres ergo , quâ curâ & medicinâ curatus & liberatus fuerit à morbo suo præfatus Religiosus : pharmacum illud paucis hisce ex eodem Authore habet primò omnia sincere revelavit suo Confessario extra Confessionem , à quo proinde adjutus fuit per exhortationes , & consilia sequentia : Primo : ut quoties internos etiam solum paterneretur stimulos contra alterum ; se in Cella sua prosterneret ante scabellum pedum , imaginando alterum præsentem , utque scabellum pedum tanquam pedes ejus oscularetur , & simul amicè alloqueretur , rogans orari pro se . Si verò ad extra prodijisset passio , per contentiones , mordacitates , verba punctoria , &c. licet altero causam aliqualem dante , iussus fuit coram ipso post factum se prosternere , & veniam rogare , & orari pro se . Præterea dona & bona alterius , & econtrà mala propria seu peccata graviora , in promptu habuit annotata , ut vel sic passioni huic ( scilicet odio ) velut indomitæ bestiæ os occideret ; insuper pro illo assidue orabat , & sic tandem impetravit à DEO gratiam , ut intra breve tempus ab hac longa miseria liberaretur .

Vade Religiose , & tu fac similiter , seu veterane , seu novelle ! quisquis eodem morbo laboras , canderi medi-

medicinam adhibuisse juvabit. Oportet enim mi bo-  
ne ( si tamen bonus es , qui talis es ) contra præpoten-  
tem morbum potentia adhibere remedia, qualia peri-  
tissimus hujuscè morbi Medicus Author citatus præ-  
scribit , ut ante insinuata sunt. Nimirūm quādam  
violentiā actuum humilitatis Divinam Bonitatem  
quali cogere fatage , quæ nunquam suos deserit , & ex-  
torquere efficacem gratiam , qua odium ejusmodi de-  
ponere , & derelictam extinctamq̄e charitatem in te  
resuscitare valeas. Accipe ergo saluberrimum *Recipe*  
ejusdem Authoris. *Saluberrimon* ( inquit ) erit , si ad  
singulos impulsus odij , indignationis , aversionis  
( utcunq̄e nominate libeat ) cum Superioris licentia ,  
vel mandato ( ad augendum per obedientiam meri-  
tuū ) coram illo , contra quem stimularis , te prostrave-  
ris , & petas orari pro te. In cella quoque vel aliās so-  
lus agens imaginari poteris eum esse præsentem , & co-  
ram eo sic imaginariè præsente te prosternito , & cul-  
pam dicito , vel deprecare quadammodo , & pedes  
eius osculare. Nequē labor iste & humiliatio videri  
tibi debet gravis nimis , cùm scias , Regnum Cœlorum  
vim pati , & non nisi violentos rapere illud ; & aliunde  
etiam scias , evidens à Regno Cœlorum exclusionis at-  
que æternæ damnationis signum esse , odium contra  
Confratrem & proximum gerere ac fovere , nec depo-  
nere.

Præterea persuasum tibi haberas necessè est , quod  
quod difficilius fuerint hoc ipsum , quod aggrediris , eò  
majus tibi præmium reslet , quod præstolaris : imò u-  
nus talis actus heroicus & intensus , qui contra sic rehi-  
tentem naturam exeretur , non tantū plus meriti  
& præmij habet pro futuro , sed etiam plus facilitatis  
operator de præsentि , ad similes actus posthac facile e-  
liciendos & habitus contrarios extirpandos , quām io-  
aut 100. remissiores. Adeoque difficultas hæc ma-  
jor solum erit ab initio , in primo fortē adū vel secun-  
dū

do; nulla verò in reliquis amplius. Si credere nos vis, fac experimentum, & senties, quod dico. Neque retrahi te patiaris à tali humilitatis actu per reipetitum illum perniciosum & sordidum, quid dicetur? quid alij cogitabunt? Quid ille ipse, cui id fecero? putabit me stultum &c. Nam dicant alij, quod volent cogitent, quod lubet; stultum reputent &c. sed novi veris esse in lucro cum Apostolo Paulo stultum reputari propter Christum. Sed nec diabolo dissuadent talēm actum obsecundes, qui te forte conabitur retrahere, repræsentando continuo inaiscretionem, imprudentiam, impertinentiam & vitia alia tui adverteri, vel certe injuriolam ab eo tibi illatam amplificando econtrà tibi obijciet forte propria dona & excellentias v.g. quod sis diutius in Ordine, & senior respectu illius; plus intelligas, quam ille; sis longè illo prudenter, doctior, humanior, majoris etiam aestimeris ab omnibus aut à plerisque, quam ille; quod sis à parentibus ditionibus, nobilioribus (&c. &c.) quam ille. Suggeret ergo diabolus, non te subijcias, non te humilias illi. Sed hunc si me audis, non audi, sed contraudientius ito.

Tales superbas cogitationes per Dñm immortalem non volvas animo; sed mente excludas: aut in invito recurrent & occurrant talia cogitata, ne curreas, sed contra audientius eas. Hæc enim voluntarie admissa quid sunt nisi instrumenta continuandi odij, & accessandæ damnationis inemansibiliter. Igitur si tales insultus & suggestiones dæmonis occurrant, ture curre ad ea legenda vel recogitanda, quibus te scis alias moveri ad volendum tales actus exercere humilitatis. Imò consultum erit, talia motiva & principia semper in promptu habere, descripta in scheda, & ea tecum deferre, legere, & relegere, animovè revolvere, & sic contrarias diaboli suggestiones quasi vim vi repellere.

Motiva autem se alteri (quiscunque ille sit) lib-

benter submittendi & humiliandi sese coram illo aut propter illum, possunt esse sequentia: si v. g. ut dictum est, virtutes aliquas aut dona illius (quibus utique plane is vacuus non erit) annotes, & etiam in schedi-asmate describas: quibus opponas graviora peccata à te commissa; talia de altero non præsumendo; cùm nemo debeat præsumi malus sed potius bonus, quām din sic malus non probatur esse. Deinde ex Scripturā, SS. Patribus aut etiam historijs notata quædam habeas de charitate & odio, de invidia & humilitate, de victoria sui &c. quæ te plus movent. Hujusmodi annotata motiva in promptu habeas, legas aut mente saepiusculē revolvas pro opportunitate aut necessitate. Ante omnia autem memineris illius, quod dicit Joannes Gersen. de imitatione Christi, non nocet si omnibus te postponas, nocet autem plurimum, si vel uni te præponas. Item illud: si vel uni te præposueris aut præferas, non poteris esse quietus. Quod ipsum etiam Bernardus monet serm. 37. in cant. Non est periculum, quantum tuncque te humilias, est autem grande periculum, si vel modicè plus te extollas. Si vel uni te præferas, quem forte parem tibi Deus judicat, aut etiam superiorem quapropter noli te comparare majoribus, noli minoribus, noli alicui. Hæc Bernardus. Experire, si lubet. Recipere hoc salubre est. Probatum est. Et alterius (de quo diximus damno) disce bono tuo consulere: & nullum odisse vel levi odio, qualiscunque demum sit causa. Qualiscunque inquam causa sit averionis vel odij, hanc tu causam non causam puta, saltem justam & sufficientem, quæ possit justificare odium tuum. Aut enim fecit tibi mali quidquam, aut non fecit? Si non fecit, ergo deterior belluises, quia gratis odio habes, qui nil tibi mali fecit, saltem intentione mala. Si fecit aliquid mali, veniam meretur non odium, & ad suum vindicta permittenda Deo est. Teneris enim non solum diligere eos, qui tibi fecerunt bona aut ni-

hil mali, sed inimicos etiam & malefactores; adeoq[ue] odium tuum & aversio tua, nunquam æqua sunt, sed iniqua & peccaminosa. Est fallacia apud Sophistas, quam non causæ pro causa vocant. Tali fallacia vide, ne te ipsum decipias Religiosé, quamcunque enim causam alleges, non est causa odij, falsoq[ue] justa & sufficiens. Si malè fecit, indulgendum est: si autem bene, cur eum odio habes?

De Jona Propheta legere est, quod cum natura stomachosior esset, valde indignè tulerit, hæderam pulchrè in modum frondei testi succrescentem, à vermiculo corrosam fuisse & exaruisse; excanduit enim Jonas, & petivit animæ suæ, ut moreretur, & dixit: melius est mihi mori quam vivere. Cui Deus exprobrans illi iram suam ait: putasne bene irasceris tu super hæderam? Jonas cum pertinacia tuendo errorem dixit: Benè irascor ego usq[ue] ad mortem. scilicet: propter hæderam corrosam à vermiculo. *Joan. c. 20.* Posset hoc ipsum quandoque ex Religiosis queri, putasne benè irasceris super fratrem tuum, propter tale vel tale dictum aut factum; putasne recte facis te avertendo ubi illo? Quid responderent quandoque? nisi idem quod Jonas, benè irascor usque ad mortem. Dann soll mich das und das nicht verdrissen? Facit (vel fecit) mihi hoc & hoc. Verum causa tua, causa nulla est; si male fecit, ignorandum est; si bene? odium deponendum est; alias ira tua & odium tuum cedet tibi in mortem, & forte etiam æternam. Sed absit à Viro Religioso sic irasci, sic odiisse. Ut verò hoc longè à viro Religioso sit, discat in juventute celeriter, tales iræ & odij motus reprimere.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. I. Omnes (excepto nemine) diligere, charitate vera non ficta, & odiisse neminem, sed ipsum potius odium odio habere, cano imprudens, irrationalē, inhumaniū sit odiisse eum, qui nobis in nullo nocuit.

2. Tam parium odisse ullum hominem, quam parium odio habes Deum, qui a odium fraternali non tam dilectionem debitam fratri, quam dilectionem Dei excludit.

3. Majori odio odisse odium fraternali, quam ullum peccatum: quia omnium peccatorum est gravissimum, & omnis odor homicida est, se spiritualiter enecans, cum tamen alteri nocere ( etiam si velit ) non possit; inde latro est, quia et si adhuc vivat, quem querit occidere, attamen occidisse animo judicatur.

4. Nullum odire, quia scandalum est multorum peccatorum, quia mortem inducit seu privationem vitae aeterna, quia diaboliceum est vitium, inde plus quam diabolicum, quia nil desestabilius est odio inter Religiosos, inter ejusdem Religionis Filios & Confratres.

5. Nullum odire, quia Religiosus charitatem non habens, vivens mortuus est, & omnia opera ejus mortua sunt, & quia qui vel unicum hominem, ut inimicum viderit in terra, nullum amicum, a quo ametur, habebit in Celo.

6. Nullo pretextu quaslibet quenquam aversari, aut nolle conversari cum eo, sed naturae aut antipathiae vitium virtute superare.

7. Specialem fibi vim inferre, victoriam de se ipso referre, estimando, honorando, honore præveniendo adversarium, se illi blemiliando, subjiciendo, orando pro eo.

8. Odijs teneris & novellis statim occurrere, & elevare, priusquam crescant, & firmiores segant radices, undecimque ortum habeant, etiam si levissimus ex causis. Vide sis, an haec omnia feceris, aut facere posthac velis.

## INSTRUMENTUM LXVII.

### Zelum & invidiam non habere.

Z Elus duplex est: bonus & malus, ut loquitur S. P. Benedictus cap. ult: Reg: malus, qui separat a Deo,

*bonus, qui dicit ad Detum.* Zelus ergò prout hic sumitur, æmulatio mala seu invidia intelligitur, quā quis contra proximū excitatus, de illius felicitate constistatur. In eodem sensu accepit ipse Apostolus nomen Zeli 1. Cor. 3. *Cum inter vos sit Zelus & contentio nonne carnales estis?* quasi diceret: *cum inter vos sit invidia, emulatio, & contentio.* Definitur autem Zelus sic sumptus seu invidia: quod sit tristitia de bono proximi, sive ut dicit Augustinus: *dolor alienæ felicitatis.* Monet ergò hoc Instrumento S. P. Benedict: discipulos suos & omnes Religiosos id, quod jam antè Apostolus monuit: ad Gal. 4. *non efficiamini invicem provocantes invicem invidentes.* Quod monitum adeò salutare est ut Cyprianus dicat: *nihil magis Christiano & maxime Religioso cavendum, quam invidia:* Cur autem hoc vitium summopere Religioso sit cavendum, sive quānam motiva faciant ad ejus detestationem, & quānam remedia contra illud suppetant, breviter (imò fuses) dicemus. Interea adverte, quam recte S. P. B. post Instrumentum præcedens (*Nullum odire*) subjugat hoc præsens: *nulli invidere.* Quia plerūque coniuncta esse solent odium & invidia, unumque ex alio consèquitur, aut enim ex odio invidia nascitur, nam si quā bona alicui eveniunt, quem odimus, plerūq; eadem ei invidemus: aut ex invidia nascitur odium, prout diabolus invidens homini felicitatem suam, intensissimo eum odio persequitur, & Zelum gerit aduersus hominem, Zelum inquam malum, imò pessimum.

Motiva autem invidiæ omni studio declinandæ sunt sequentia: Primò. Quia vitium hoc diabolo ap' propriatur; per invidiam enim diabolus hominem persequitur, & insidijs insequitur. Unde August. lib. de disciplina Christiana: *vitium diabolicum est invidia, quo solum vitio reu est damon, & inexpiabiliter res.* Vis scire, quid sit invidus Monachus. Belga noster cum

eum sic definit: est hæres diaboli, filius dæmonis: est homo, in quo homo desierit, diabolus revixerit. Qui igitur diabolici spiritus & hæreditatis, exors esse cupit, invidiam à se procul amoveat. Et quot ejusmodi invidas cogitationes, motusue senserit, tot sibi fugitiones à malo spiritu immissas noverit, quibus suam similitudinem & filiationem humanis mentibus imprimere laborat. Quid quòd invidia & odium fraternalum sit plus quam diabolicum? neq; enim diabolus Condiabolus & fratres suum (si sic loqui fas est) odit, aut illi quidquam invidet, sed homini alterius naturæ & conditionis: Et homo poterit invidere homini?

Motivum secundum fugiendæ invidiæ est, quia vitium hoc est crudelissimum & iamanissimum, ex qua veluti hydrâ pullulant vitia alia longè plurima atque determia: cuius enim cor semel hoc vitium occupat, in turpissima quæq; alia scelera eum præcipitat. Nullum enim scelus est, quod abhorreat invidus. Non parcit innocentio, non homini, non fratri. Sic non pepercit Cain Abeli fratri suo, quin ex invidia occideret *Gen. 3.* Non pepercere filij Jacob Josepho fratri suo, *quia invidabant ei. Gen. 37.* Hinc non mirum, quòd etiam inter fratres claustrales dominetur, & regnet, quando etiam inter germanos fratres prævalet. Denique non pepercit invidia Christo Deo-homini, quando summi Pontifices & Sacerdotes per invidiam tradiderunt illum. Invidia ergo radix est multorum malorum: per invidiam pacis vinculum rumpitur, fraterna charitas violatur, adulteratur veritas, scinditur unitas. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, in ore verba rabida & effrænata convitia; manus ad violentiam prompta, & et si gladio interim vacua, odio tamen suriosæ mentis est armata: ut loquitur Card: Turrecr: hic, *Quid plura referam? testimonium sufficit Apostoli*

stoli (Jac. 3.) ubi est Zelus & Contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum, homicidium, fraticidium, Christicidium, & quæ non alia mala?

Motivum tertium est, quia invidia est vitium curatu difficultimum. Ægerrimè curatur invidia, quia occasiones, quæ ad alia vitia nos ducunt, facile vitantur, quæ verò ad invidiam nos incitare possunt, inevitabeles sunt. Quippè occasio invidiæ aliena felicitas est, seu bonum alienum, juxta definitionem datam, quod sit tristitia de bono proximi, seu dolor alienæ felicitatis: ut ergò occasio illius excluderetur, deberet omnino bonum, & omnis felicitas à proximo excludi, quod fieri nequit. Hinc cujus cor vitium hoc immane occupat, ab illo difficiliter extricatur. Ergò mature oportet obsistere hujusmodi vitio.

Quartò est vitium infeliciissimum, teste Gregorio dicente: *Quanta infelicitatis sunt invidi, qui de mitigatione aliorum, ipsis deteriores fiunt, de sanitate aliorum infirmantur, de vita moriuntur, & de bono odore, quo alij vivunt, putrescunt: cum alios invidi communatos vident, seipso mordent, & excruciant.* Et Gregor: Nyss: invidiam qui habet, non suis malis sed alienis bonis infelix est. Omisera infelicitas! Unde bonus proficit, invidus contabescit! Unde Poëta.

*Invidias, preeor, invidias: ipsissima virtus*

*Et fors invidiam prospera semper habet.*

Quintò est vitium perniciosissimum, corruptum enim & devastat ipsum invidentem: est enim sicut vermis ligni, qui lignum, unde natus est, consumit. Semper invidus dum alteri nocere nititur, sibi nocet. Hanc in rem servit fabula illa de uno invido & altero avaro; habuisse scilicet Regem quempiam inter suos Aulicos avarum unum, & invidum unum: Vocatisque ambobus dixit: petat quilibet vestrum, quod voluerit, qui primus petet, habebit, quod petet; alter, qui secundo loco petet, habebit duplum. Noluit primus

primò petere avarus, ut posset duplum habere. Noluit etiam invidus aliquid boni petere, nè avarus, cui invidebat, duplicatum bonum reportaret, sed petivit, ut sibi erueretur unus oculus, ut sic postmodum avaro eruerentur duo. Hæc autem fabula sanè fabula non est, sed ipsissima veritas, quod invidus in propriam & alienam perniciem intentus sit. Si ergò sibi nequam est, cui bonus erit? undē Basil: homilia 11. Quid est hoc morbo pernicioſius? interitus vita est, & pessis naturæ. Quemadmodum enim rubigo ferrum, sic invidia eos, qui eam possident, inficit, & corrumpit. Et sicut viparas dicunt disrupto matris ventre endisci, sic invidia concipiēt se animum corrodit, & tabescere facit. Hinc forte est tritum illud:

*Rumpitur invidiâ quidam charissime Juli.  
Et ille Poëta alius:*

*Justius invidiâ nihil est, que protinus ipsum*

*Authorem rodit, discruciatq. suum.*

Sextò est vitium omnium turpissimum, adeò, ut fermè præ omnibus, hujus vitiij hominem pudere soleat, nec velit hoc infectus vitio videri, esto de cœteris sæpè ultrò gloriatur: Omnis qui invidet, dissimulat se invidere, & gaudium simulat, hilaritatemq; præfert, licet rumpatur intus; detegere nolens morbum, dedecoris plenum. Hinc cernimus, & observamus, quod invidi mala etiam bona dicant, seu in faciem malefacta laudant eorum, quibus invident, & quos v. g. exturbare nituntur officio, de quo invident; adulantur, palpant, laudant scurrilitates eorum, & quæque inhonesta; imò materiam, ansamque præbent, ut dissolutè vivant, ut defectus committant, quia confidunt, quod ex hoc & per hoc inhabiles redantur officio, quod tenent; perdantque odorem bonæ famæ & existimationis apud alios, maximè apud superiores ( quorum interest officia talia concedere ) absque eo quod notam invidiæ velint incurtere. Ve-

rūm utut latere amet hoc malum , attamen latere diū non potest , scipsum prodit . Quippē Poëta teste .

*Celari nequeunt quatuor : nempe aestus amoris ,*

*Tussis , edax ignis , Cordivoraxque dolor :*

Vultus dolorem prodit , vultus invidiam & invidum prodit , quamvis invitum , de felicitate aliena dolentem . Hinc vulgo dici amat : prospicit ex oculis invidia . Es schaut ihm der Münd heym Augen herauf . hanc enim innuunt , & produnt torvus aspectus , pallor in facie , &c . Præterea invidiam produnt verba rabida , effrœnata convitia , &c .

Septimō invidia vitium serpentinum est , omni serpento , omni veneno venenosus . Venenosissimum serpentium dicunt Basiliscum , qui sit serpens in Africa , pedalis magnitudinis , albam in capite maculam veluti coronam præferens ; undē & latinis regulis aliās dicitur ( scilicet inter serpentes ) quos omnes virulentia suā , serpentibus innatā , antecedit : tantæ quippē virulentiae esse prohibetur , ut solo aspectu , vel sibilo aures inficiat , plantas adurat , enecet animalia ; quin etiam se ipsum necat virulentia suā , dum sibi forte virus insitum afflat ; quod fieri dicunt , si sese intueatur in speculo . Tunc enim repercuisse in illum venenosae qualitates , quas emittit , ipsum emissorem enecant ; & sic proprijs se telis confodit . Nonne luculentum hominis iavidi emblema basiliscus est ? Nihil ei tam sanctum , nihil tam innoxium , quod virulentia suā non afflet , & inficiat , aut interficere non cupiat : immo suo seipsum veneno inficit , & enecat . Ut alios perdat , ipse perire non dubitat . Unde Bernardus : O quis es , qui saluti , & sorti invides aliena , parcito vita & æ : si enim , ubi invidia , ibi mors ? profectō non potes simul invidere , & vivere . Quod si velis talem Basiliscum spectare Religiose , Fingito videre Florentium illum pseudo-Sacerdotem ( usque adeò nec Sacerdotalis & Religiosi animi ab hoc vitio & veneno sunt immunes )

nes & liberi) Clericali quidem habitu vestitum, sed vultu liventem, pallore suffusum, oculis depresso, māciliens rugosum, torvum intuentem, crebro suspicantem, dentibus stridentem, & obscenum aliquid immurmurantem. Hic invidi vultus, hæc species, hic decor est. In hunc hominem oculos, animosque converte; & quis cum, quis quemque invidum maneat vitæ exitus aut exitium, ex rei gestæ serie cognoscet: rem gestam (ut narrationi major fides sit) narrat ipse Gregorius M.

\* Cùm Monasteria à S. P. B. fundata in amorem Domini Nostri JESU Christi longè lateque servescerent, sacerdotalemque vitam multi relinquerent, & sub suavi Christi jugo cervicem cordis inflechterent. Florentius pseudo Præbyter (uti mos pravorum est, invidere alios virtutis bonum, quod ipsi habere non adlaborant) S. Viri studijs cœpit æmulari, ejusque laudi & sanctitatis famæ invidere. Unde etiam nitebatur alios (quos posset) ab illius visitatione & frequentatione, aestimationeque retrahere. Cùm verò se nihil proficere contra magnam Magni Benedicti sanctitatem & famam consiperet, & conversationis illius crescere aestimationem, multosque ad statum vitæ melioris, ex fama & præconio sanctitatis ejus indesinenter allici: invidiæ facibus magis magisque succendebatur; quia conversationis illius ipsem appetebat habere laudem, sed habere aut ducere latitudinem vitam nollebat. Quid igitur audet invidia? nimis invidiæ tenebris excœcatus, eo perductus est, ut veneno tollere è medio S. P. Benedictum gestiret: quem in finem infectum veneno panem S. Patri submisit refectionis ad horam, ut eo se reficeret, & simul deficeret. Sed quid agis, quid moliris, quid cogitas cœca invidia & innocentem & justum non permetter intersie! Deus, Daniel. 13. S. ergo P. Benedictus intoxicatum panem cum gratiarum actione quidem recipiens & pestem laten-

tem minimè nesciens, panem, quem invidia transmisit, corvo S. Pater committit tollendum, & in loco proijciendum, ubi à nullo hominum posset inveniri. Videns ergò prædictus pseudo præsbyter se S. Benedicto in corpore nocere non potuisse, nocere ei in animalibus Discipulorum suorum decreverat: quem infinem submittit ante oculos eorum in horto Monasterij (eui Monasterio Benedictus inerat) septem puellas nudas, seu septem Veneres, cùm tamen Poëtæ non nisi fingant unicam, quæ coram eis sibi invicem manus tendentes, & colludentes, illorum mentes ad perverositatem libidinis inflammarent. An major nequicia ex Urco excitari queat, quam fuerit hæc, excitata ab invidia? Verum non permisit diu Divina Nemesis inultum scelus, sed (ut loquitur Gregorius) terribiliter eum percussit Deus (habet hoc invidia: ut Salomon in proverbii ait: *Qui ruinâ latatur alterius, non erit impunitus.* prov. 17.) sensit invidus Præsbyter talionis poenam; & ruinâ (quam alteri tum in corpore, tum animâ parabat, aut machinabatur) se ipsum involvit) Nimirum stabat in solario exultans. Et ecce! hoc ipsum tantum, in quo stabat, solarium concidit, & Benedicti hostem conterens extinguit! Ex vita S. Bene. cap. 8. sic nimirum invidus sibi ipsi causa fuit ruinæ, Nam cùm in sanctitatem S. P. Benedicti ceu inspeculum coniiceret oculos suos basiliscus iste, pestiferam labem & obfuscationem, ejus nitori afflatus; se ipsum confecit, sibi ipsi nocuit. Nimirum quam graves sunt rofæ odoriferæ scarabæo, tam odiosa sunt livori virtutum præconia.

Vidit tonsuratus hic basiliscus, se servo Dei, S. Benedicto in virtute & vitæ probitate, sanctitatisque fama æqualem non esse, ideo iratus fuit, dentibus fremit, & contabuit, querens omnem modum, quo nocere posset alteri, sed nocuit sibi ipsi. O invidia mortifer stimulus (exclamat Greg. Nyss: ) mucro recor datus,

dittus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum armatum, clavis transfigens animam, flamma cordis, intestinorum ignis, in proprium dominum satiens & authorem.

Octavum motivum fugiendi & detestandi invidiam est, quia est tormentum tormentorum omnium maximum, Horatio teste :

*Invidiam Siculi non invenere tyramni  
Majus tormentum.*

Alludit hic ad carentem Phalaridis taurum Poëta : cuius ardor licet fuerit crudelis, enormis & ingens, & mugire faciens, non tamen æquavit æstum invidi pectoris : vult ergo innere Vates, invidiam tormentum majus esse, quam igne tauri : æstus enim invidi, infernali est similis igni. In quem sensum S. Greg. accipit illud Cant: 8. dura sicut infernus æmulatio, dura ( ait ) exxitit Iudaorum Christo invidentium æmulatio, quia sicut infernus sine misericodia, ( quos tenet ) sic Judaica plebs Christum apprehendens, sine respectu pietatis ad mortem trahebat. Fecit hoc ipsum Florentius præmemoratus, cuius æmulatio quiescere non potuit, donec ad mortem seu corporis seu animi traheret eum ( saltem spe suâ ) quem lividâ malevolentâ persequebatur benevolentissimum Patrem Benedictum,

Nonum motivum, cur omnibus viribus connendum sit, ut ab hoc vitio extricent se Religiosi, est. Quia usque adeò commune invidia vitium est, ut videatur se habere instar termini transcendentis, omnia pervagantis, odeò ut peste hac, Religiosa etiam corda plerumque sordescant, & infecta maneant. Vulgari Proverbio dicitur: ( quod utinam falsum esset ! sed verissimum sane est ) *invidia in Aulis nascitur, in Monasterijs seu Religionibus nutritur, in Xenodochijs emoritur;* Usque adeò pervulgatum invidia est vitium! in omnibus locis, profanis, sacris, reperitur; de quo Salvianus: *Quis est ( inquit ) in quo non lividus malevolentæ Zelus ardet, cuius non sensum livor invasit? cui non prosperitas aliena*

aliena supplicium est ? qui non bonum alterius , suam credit esse malum ? cui ita sufficiat fors sua , ut etiam ali- um velit esse felicem ? Quis ille est , cui parum non sit , si si ipse felix , nisi alter fuerit infelix . Religiosos ergo & Discipulos suos voluit S. P. B. à communī hoc naufragio exemptos , & immaculatos . Ah Religiosi , ut quid Zelo seu sinistrā æmulatione & invidiā ullā labora- tis in malum vobismētipſis ! Ecquid creibrius aut fre- quentius fortè in Monasterijs , & Religiosis Commu- nitatibus est reperire , quam invidiam & falsas insimu- lationes , ex mutua invidia prophanantes ?

Si quis paulò gratior apud Superiorē esse puta- tur , ecce jam reliquorum ungues parati sunt ad eum configendum , ad favorem hunc eradicandum ; jam non Religioni ducitur , falsa veris , vera falsis miscet & mentiendo , detrahendo , calumniando &c. colum- nam bene stantem impetrere , & parumper impellere , donec ex integro licet evertere . Virtus ipsa scepē in- culpam trahitur , probitas morositatis nomine tra- duçitur ; observantia Regularis , sensum mortificatio- frequens oratio &c. hypocrisis vocatur : Obsēquendi seu obediendi studium adulatio dicitur . &c. &c. Cūm verò multis criminationibus , & delationibus concus- sa incipit nutare columnā illa ; cūm bonus Religiosus non nihil fidem , & estimationem priorem apud Supe- riores perdere incipit & jam loco moveri pristino , dum incipit à virtutis proposito deiici , & de fervore suo ( qui invidis est telum in oculis ) remittere , tunc exul- tat invidia , tunc intenduntur vires , ut admotis etiam mendaciorum , & falsarum insimulationum , exagge- rationum , exprobrationum machinis paries jam inclinatus detur in ruinam . Licetque tunc hujusmo- di Religioso , qui invidos & invidiam patitur , illud Da- vidicum cum gemitu usurpare : Quousq; irruens in hominem , tamquam parieti inclinato , & maceris depul- sa . Quid tanto impetu in me insurgitis ? Atque hoc re-

Religiosi quantò saepius in Religionibus fieri videtis, tanto studiosius caveatis.

Caninum hominum genns est genus invidorum, ut loquitur in hunc locum Gerardus Noster. Et sicut canina facies abominabilis in cucullo est, sic invidia rabbies est deceptanda in Monacho. Et ut canis ille nunquam quiescit, sic à dentibus ejus & spuma, nemo securus & intactus est in Canobio. Sunt in Cœnobij sagittarij, sed perversi & inversi Sagittarij boni in nigrum collimant, invidia oculos in album intendit, virus suum in laudabilia effundit. Nam etiam bonorum Fratrum facta & acta bona, sinistram accipit in partem; Et ut Bonaventura ait: sicut bonis mala cooperantur in bonum, ita invidis bona cooperantur in malum, omnia, quæ bene faciunt Religiosi boni, invidi per invidiam dicunt & volunt esse male facta. Unde tales aurum convertunt in turpium, gemmas in lutum, granum in paleam, vinum in aquam, mel in fel, diem in noctem, balsamum in sterquilinum, elecluarium in venenum. Hæc Bonaventura in compend: Theologæl. 13. c. 16. Araneæ sunt Religiosi tales, quia unde apis mel, aranea venenum exugit; & quod suxit, in alienum perniciem convertit; sic invidi Religiosi ex bonis aliorum, mala exugunt invidiam. Muscæ sunt Religiosi tales: quæ maculas suas communiter fœdius in munda syndone relinquunt. Scarabæi sunt, qui non nisi in fœribus & fœribus aliorum occupantur, rosas honorum operum, quas in alijs advertunt, prætereunt: mala observant, bona exempla negligunt aut fugillant. Si videant alteri male esse, corripi, officio deponi &c. tunc sibi bene esse putant, de aliena pena ( ait Aug. ) querunt sibi medicamentum, & de salute acquirunt grande tormentum. De aliorum malis gazident, de profectibus bonis lugent: ad gaudenda amarij, ad plangenda iæti; amicis diaboli, inimici autem sui; omnibus odiosi.

O quoties sic in sacris Communitatibus frater in-

vidiā concitatur contra fratrem ! & inimici alicujus  
 Religiosi sunt *domestici ejus*. Matt. 10. v. 36. unus su-  
 pra dorsum fabricat alterius, unus machinationes ma-  
 chinatur aduersus alterum, timens ne alter ei surripiat,  
 quod ipse met tantopere affectat. Officiolum quod alter  
 sperat, aut saltem desiderat ) s̄epe causa invidiæ est  
 invidiam patitur cui illud obtigit : aut si nondum ei  
 obtigit, videant verò alij, alterum commendatum &  
 bono loco apud Superiores esse, mox glossantur, ve-  
 rentur eum futurum officialem talem &c. hinc con-  
 citare nituntur adversus illum cœteros : Superioribus  
 æqualibus, inferioribus referunt singula, quæ vel vi-  
 dent in illo, vel etiam suspicantur de illo ; in Cells  
 quantumvis lateat, patet tamen jaculis invidorum  
 adeò oculi eorum lyncei sunt, muros etiam & offi-  
 penetrantes ad observandum & notandum alterum,  
 & numerandos omnes gressus ejus, si quid forte pere-  
 peram committat. Qnod si aliquid sinistri deprehend-  
 erint, id ipsum multis exaggerationibus propalant,  
 exponuntque quibusvis obvijs, ijs quam maxime,  
 pud quo stalem vel parum vel multum valere nōrunt,  
 ut vel sic incipiat valcre minùs, minusque æstimari,  
 mari, foveri. Librant, & cribrant dicta, gestus & mo-  
 res ; & siquid sinistræ actionis vel dicti minus compre-  
 tentis reperiant, protinus in auras & aures spargunt  
 liorum, suppressâ intentione, quam loquens habucrit,  
 vel etiam ipsa formâ loquendi, aut etiam occasione &  
 causa, ob quam simile quid dictum, prolatumue sit,  
 solū ut odiosum reddant alterum apud cœteros, &  
 impediant eum ab eo commodo, solatio, favore, offi-  
 cio consequendo, quæ illi obventura ventur. Uf-  
 que adeò verum est, universa exposita esse invidiæ  
 nec ab ea tutæ aut immunia esse Cœnobia & Asceteria  
 sanctissima ! Usque adeò etiam atquè etiam inter Reli-  
 giosos ( quoram professio est vacare soli Deo, & char-  
 tati fraternæ conservandæ intendere ) grassatur huc  
 lues pessima !

*Et dolendum solum est ( inquit Keflerus gemitu compeditorum 17. ) imò planè stupendum, quod tam pauci advertant se in Religiosis cætibus hoc vitio contabescere, quod tam commune, quam perniciosum simul est. Cumque undique flammas invidiæ evomant in dictis acerbioribus, in conversatione communni, in delationibus ad Superiores &c. Nequaquam tamen se tam exitiali invidiæ morbo laborare agnoscant. Ah quoties & quot non ringuntur, ubi vident uni plus recreationis, ut vocant, fieri, plas solatij, plus favoris impendi quam alteri, quam id ferunt ægro stomacho, quam vehementer hanc ( ut ajunt, aut putant ) in justitiam exaggerant coram contribulibus suis, aut certè in faciem obtrudunt Superioribus suis; aut certè in propria mente vel phantalia, ceu tribunali justitiae rem ruminant, digerunt, examinant: Cur hoc illi fit cur toties? cur omnes recreations debet solus iste & semper habere? ista non est discretio, ego etiam mea facio &c. Et tamen invidiâ turpi se laborare non animadvertisunt.*

Sunt & alij, qui ringuntur, & rumpuntur invidiâ, ubi alterum ( cui non sunt affecti, seu cui invident ) laudari percipiunt. Nihil durius multis est, quam audire ea, quæ alterius in laudem & aliqualem commendationem cedant. O vitium grande, vitium plus quam diabolicum! diabolus namque homini invidet laudem & æstimationem, dæmoni minimè; ut potè simili & æquali in natura; O malum execrabile! Notent bene hoc Religiōsi ( ait Kefler. lo. cit. ) notent bene: quia facile nimis irrepit in Religiosum animum tam grande vitium, sed non facile extirpatur; imò nec facile quidem observatur & advertitur. Notent, & non verinthoc invidiam, & nihil aliud esse: siquidem morbum agnoscisse ex parte curasse est. Et Aristoteles quidem lib. 2. de arte Rheto, cap 19. in hoc præcipue vina hujus vitij ponit, quod sit tristitia de alterius hono,

prout est diminutivum propriæ excellentiæ ; & pro exemplo invidiæ & invidorum ponit primò eos , qui honorari cupiunt , & celebres esse : Quales esse possunt Concionatores, Lectores, Confessarij, imò etiam Cœconomi , &c. Hinc timent, tristantur , nec pati possunt se ab alijs superari in sua scientia, dexteritate, vel industria, ideoque de lande, de gloria aliorum seu Antecessorum , seu Successorum in munere & officio , vel etiam Collegarum affliguntur vehementer : & econtra exultant ad confusiones & infamations eorum , quos existimant sibi obstatæ aut prævalere.

Hanc in rem placet referre recentem sed horribilem Historiam, seu horribilem invidiæ exitum ac effigiem , qualem recenset Theoph: Raynaudus in prato spirituali numero 29. de anno 1657. Anno hoc ( inquit ) concionabatur Savonæ apud Ligures Religiosus quidam ( nomen Ordinis consultò tacetur ) qui invidens Concionatoribus alijs de Auditorum frequentia , cum paucos nimis ipse haberet , & numeraret Auditores , ita ut vasta templi capacitas , adeò infrequentia concurrentium numero posset vacua videri : Cum igitur aliquamdiu quâ incitando , quâ urgendo nihil proficeret , patientiâ in furorem versâ descendit è suggestu , & in Cœnobium regressus , omnes Concionum suarum fasciculos , unum in cumulum congestos igni injicit : ex quo mox grandior flamma excitata vicinos adeò terruit , ut periculum incendiij latè grassaturi timentes , ultrò accurrerent. Sed quid putas , accurrentes viderunt ferale spectaculum ! chartas reperiunt needum plane consumptas , & simul miserum Concionatorem in sanguine suo penes innatantem. Adegerat quippe ipse sibi intra ilia sicam , eò quod populum frequentiorem ad conciones suas adigere non potuerit. Hoc nimis nocet , dum non potest alteri . Ah vide , ne invidias ! Ultimum invidiam velis , remisque fogiendi motivum

tivum & calcar Religioso sit, quod invidia vitium sit  
juxta Doctorem Angelicum, & omnes Theologos ex  
genero suo mortale. Hoc puto satis Religioso bono  
erit ad concipiendum hujus vitijs horrorem maxi-  
mum. O Religiosi ( ait iterum hic Kesslerus ) mortale  
est inuidere ex genere suo. Auribus hoc percipite omnes,  
qui inhabitatis Monasteria, & Congregationes sacras.  
Mortale est ! vos celebrare audetis quotidie sine scrupu-  
lo? sine remorsu? sine discussione? sine advertentia & re-  
flexione? Timori ( ait ) sint isti illis, qui se norunt nocuos  
& infectos bacerae lue; sicut revera infecti sunt plurimi,  
licet parum advertant. Haec ille. Sed unde est, quod  
non advertant? quod videntes non videant? & au-  
dientes non intelligant? rationem dicit esse mentis ex-  
cocationem, quae ipsius invidiae effectus est. Quia  
cum malis aliorum lamentantur, occupati semper in fœ-  
cibus aliorum, quasi scarabæi stercoribus operiuntur;  
ita ut quæ cœlestia & divina sunt, ac etiam veritatem,  
& statum conscientiae suæ non videant.

Attendant iterum illi, precor, ne mortali hujus-  
modi labore se contaminent, aut contaminati incedant,  
quicunque officiolum alterius affectant; apud quos  
communissime haec se pestis insinuat; nam qui finem  
quærunt, vult & media: media autem sunt, aut esse vi-  
dentur, ut quos sibi præcepturos timet, aut præripere  
videt tale officium, tale solatum, vel favorem, &c.  
eos impedit, deferendo eorum ( si quos novit ) de-  
fectus, quos non novit, inquirendo. Vix talis videt,  
vel audit quidpiam, mox alijs malevolis, & osoribus  
ejus se sociat, qui de illo male loquantur, aut male lo-  
qui libenter audiant; profert & assert, fugillat, & ex-  
ibilat dicta, facta; apta, inepta, quælibet! insuffrat  
haec & illa Majoribus! sed quorsum ista omnia? ut de-  
stinate potiatur officio, vel ne deficiatur ab illo: vel  
etiam ne in administratione officij ab altero in laude  
superetur: ab hoc ergo inordinato officij vel laudis,

aut præminentiae affectu descenditur ad invidiam, ab hac ad illa alia sexcenta vitia. Hi ergo & similes effectus mihi Frater (inquit cit: Auth:) qui amas animam tuam, sint tibi pro manifesto signo regnantis in te invidiae, quæ malum mortiferum est. Quisquis ergo officium, quale quale illud sit, sperat vel affectat, vel diutiis retinere anhelat, semper sibi timeat, sibi caveat, nè morbo tam pestilenti inficiatur, aut infectus sit. Videat, an non de alterius morbo gaudet, spe mortis; aut de morte spe consequendi officij. Hæc enim quid nisi nota invidiae sunt? Videat, an æmulum suum subdolè nitatur adducere in præcipitiū, laudando male facta in faciem, ut malefacere perget, & defecus quosdam committere, quibus confidat æmulum in disgratiā & disciplinam Majorum venturum, & officio privandum. Hæc enim invidia est. Videat, an non ægræ ferat, ubi bona & dona alterius vel rectè factæ illius prædicari, laudarique audit; Et hæc invidia est. Videat, an non bona interpretetur male; Et hæc invidia est. Videat, an laudibus alterius non invideat; an non si probum nominari audit, tu hypocritam diccas, si doctus audiat, tu semifatuum, aut rudem proclames; si fanus & robustus habeatur, tu valetuina- riū nec durabilem pro hoc illōve officio, dignitate, negotio dictites. Et hæc invidia est. Atq; hæc licet sint gravia nimis, invido tamen nec levia quidem apparet: Obscuratum enim est insipiens cor eorum; statuerunt oculos suos declinare in terram, quorum unicum gaudium est innocentium infortunium, quorum unicæ consolatio innocentium confusio, quorum requies innocentium suppressio est, quorum tranquillitas est innocentium exasperatio, quorum satisfactio & pacificatio est innocentium injuria, &c.

Vos verò Religiosi, non sic! siquidem vita vestra, conversatio vestra, Religio vestra, exemplar vivum esse debet vitæ cœlestis, tabernaculi cœlestis, & societatis

tatis Civium Supernorum. Et sicut felices illi Spiritus, qui Cœlū inhabitant, gloriam suam, dignitatem suam, præcellentiam suam, ministerium suum mutuo non invident, tametsi inter eos sint, qui gloriā, honore, dignitate, officio, ac ministerio emineant; sed inferiores de honore, officio, dignitate Superiorum tanquam proprijs lœtantur, ita Religiosi, Fratrum suorum bono, virtutibus, laudibus, officijs, &c. congaudere debent potius, quam invidere, non secus ac si ea ipsi haberent.

Quæres, quibus remedij exscindendum sit hoc vitiū invidentiæ? 1. Radicem evel- lendo, nimirū affectum honoris, laudis, præcellentiae super alios: item officij & dignitatis: vel etiam vanorum solatiōrum, recreatiuncularum, quas alteri obtinere invidemus. 2. Periculum hujus mali, imò & æternæ damnationis serio & sedulò expendendo, alia que mala ex hoc malo pullulantia. 3. Studendo perfectæ charitati & fraternalē dilectioni juxta dicta suprà Instrumento 2. quia sicut teste Augustino: amor fraternus esse non potest, ubi invidia est, & qui invidet, non amat, ita econtrà invidia esse non potest, ubi serius & sincerus amor fraternus est; nunquam certè, qui amat, invidet. 4. Omnia allata motiva probè, ruminando, & exactum examen de hoc vitio instituendo, an emulationem adversus ullum habeas, ulli in videas; hoc vitium si in te deprehenderis, abominare illud in te, & cane pejus & angue fuge.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. Non esse invidum. Quia hoc vitium est odij initium; vitium diabolicum est, & diabolo proprium, imò plus quam diabolicum; est crudelissimum, immanissimum, iragentem secum & post se trahens malorum iliadēm; est vitiū infeliciissimum, pernicioſissimum, turpissimum, venenosissimum, & omni basilisco venenosius; Ceterū difficultissimum, tormentum tormentorum maximum, virnia transdeſendens,

dens, etiam Claustra Religiosa, omnia pertagans, ubique penetrans, etiam Corda Religiosa. Deniq; quia caninus vitium est; quid autem abominabilius, quam caninae species in cucullo? Et quod omnium caput est, vitium est et genere suo mortale.

2. Denullius bono invidere, de nullius malo, morbo morte latari.

3. Neminem subdolè inducere in facinus, vel defectum, ob quem in disgratiā veniat Majorum.

4. Non agravare, sed libenter videre, dum bona a dona alterius vel recte facta prædicantur, laudantur, commendantur.

5. Bona, dicta, facta alterius in malam partem non accipere, & interpretari.

6. Neq; mala alterius, ultra quam pars est, exaggrare.

7. Libentius videre, si laudetur alter, qudm tu ipse.

8. Omne affectum propriæ laudis, honoris, præstabilitia super alios, officij, dignitatis, vanorum solatiiorum recreatiuncularum deponere, qud minus de his alteri invidere possis.

9. Periculum hujus mali, imd & aeterna damnationis serid & sedulū, sapientia expendere, & mala quaq; es hoc malo pullulantia.

10. Prememorata paulo ante motiva probè runtnars, & exactum hujus rei examen instituere.

11. Perseclæ charitati & fraterna dilectioni singulariter studere juxta Instrumentum II. Vide dicta ibidem, similque vide, quid feceris haec tenus, quid deinceps velis?



# INSTRUMENTUM LXVIII.

## Contentiones non amare.

2. Tim. 2.

**Q**uoniam teste Divo Thoma 2. 2. Q. 38. A. 2. Contentio solet ex invidia generari, & hæc ex odio, adeoque connexa hæc vitia esse solent; ideoque postquam dixit S. Legislator non odium gerendum, non invidiam habendam esse, hic subdit non esse amandam contentionem; de qua Apostolus 2. Tim. 2. *Noli verbis contendere.* Solet autem quandq; contentio verborum oriri inter æquales, ut si Religiosus privatus cum alio privato contendat. 2. si Majores contendant cum Minoribus seu inferioribus, idque ex virtio potius, quam officio suo; qui suis loqui nesciunt inferioribus & subditis, nisi contentiosè ac litigiosè. 3. Si inferiores & subditi non vereantur contendere cum Majoribus suis. Quocunq; horum modo contendere soleas, semper male facis, & contra hoc Instrumentum agis. Nam cum æqualibus contendere, utique ignominiosum est. Nec caret virtus, si Superior cum inferiore, modo, more, & loco indebito contendat: siquidem Superiores deberent pium Patris ostendere affectum, & mansuetudinem præseferre Christi, non personam contentiosi Catonis. Si vero inferior cum Superiore contendere præsumat, utroq; pejus est: de quo contendendi genere ( scilicet cum Prælato & Superiore suo) etiam alibi plura dicemus in Caput 3. Regulæ. Poteſt & addi quartum genu's contentionis, si Religiosus litiget & contendat cum extraneo; circa hoc contendendi genus dicit Turrecre: in hunc locum: gravius esse Religioso contendere cum extraneo, quam cum Confratre, tum propter scandolum majus, tum quia cooperatur ad gravius peccatum illius extranei, qui ut potè extraneus & minus mortificatus

sicatus in passionibus suis, plus inflammabitur, & gravius peccabit, quam forte Religiosus, qui præsumitur mortificator & mansuetior. Unde non sine causa S. P. Ben. contentiones verborum in genere prohibet, ideoque omnes allatas species contentionum vult esse à Religiosis longè.

Rationes vero, ob quas contendere prohibuerit S. P. B. seu ob quas meritò contentionis vitium fugendum sit, possunt esse sequentes. Primo: Quia contendere prorsus ignominiosum & probrosum viro est, quantum magis Religioso? *Nos est enim res, quæ decepit viros*, inquit Seneca. *Litigare muliebre* vitium cùm vitium gurgitum, helluorum, tabernas frequentationem, vino se ingurgitantum; prout Proverb: 23 dicitur: *Cui rixæ? nonne his, qui morantur in vino, & student calicibus eportandis?* Et certè plerumque, nimis multum bibisse arguitur, qui contendit. Unde vilenum Religiosus se prodit, qui contentiosem amat, quam ergo ignominiosum sit, virum Religiosum contendere, nemo non videt.

II. Quia contentiones amare est signum vel superbiae, vel stultitiae, vel alterius perversitatis & malitiæ. Superbiae quidem signum est, quia, qui cum altero contendit, in eo jam vel se, vel judicium suum alteri præfert. Stultitiae signum est, quia *labia straminea* se rixas, & os ejus iurgia provocat. Prov. 18. Signum perversi animi est. Quia Proverb. 13. dicitur *Homo perversus NB. suscitat rixas.* Religiosus ergo, qui rixas suscitat, eo ipso se perversum esse manifestat & malum; prout habetur Prov. 17. *Semper iurgia querit malus, Angelus autem crudelis mittetur conseruum:* Nempè diabolus incitor contentionum & cum tempore castigator. Tantundem ergo caveat Religiosus esse contentious, quantum cavet, & cavere debet esse superbus & stultus, esse perversus & malus, contra quem mittendus sit diabolus. Quod avertatur. Superi.

III. Quis

III. Quia contentio prodit carnalitatem & imorificationem Religiosi, ostenditque eum animalem hominem esse, & secundum carnem vivere, non verò esse spiritualem, aut vivere secundum Spiritum; adeoque indignus est Religiosi nomine, mentiens DEO & mundo per habitum & tonsuram, dicente Jacobo: qui dicit se Religiosum esse, non refranans linguam suam, bujus vana est Religio, & iterum Jacobi 3. Quod si Zelum amarum habetis, & contentionem in cordibus vestris, nolite gloriari: Nempe quòd Religiosi sitis, quòd spiritu vivatis, &c. Quippe Monachus talis non est nisi carnalis. Quod Paulus confirmat I. Cor. 6. *Cum sint in vobis Zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum carnem ambulatis?* Carnales dicuntur, qui contentiones amant, quia plerumque caro & sanguis occasionem contentionum & litium suppeditant, non Deus, non Pater cœlestis, non Custos Angelus, non Spiritus DEI. Siquidem occasio contentionum & litium plerumque esse solet aliqua vanitas, & concupiscentia carnis. *Quietissimè viverent homines,* ( ait Seneca ) si tollerentur ista duo pronomina meum & tuum; sub quibus intellige omnia, quæ caro, & carnalis homo requirit: uti sunt honor, præcedentia, laus, gloria inanis, &c. Si enim hæc fortè negentur, ecce mox rixæ & jurgia! de quo iterum Jacobus: *Unde lites in vobis, nonne ex concupiscentijs?* Hinc patet, quām longè lites & contentiones debeant esse à Religiosis, quos oportet non carnales, sed spirituales esse, non rebus inhiare vanis, non laudi, honori, judicio proprio, vel alijs, quæ solent ansam præbere contentionis. Ade, quòd Religiosi profitantur se servos DEI, servum autem DEI, ut Paulus inquit 2. Tim. 2. non oportet litigare, sed modestum esse ad omnes. NB. ad omnes: æquales, superiores, inferiores; domesticos, extraneos; alias jam non servum Dei, sed servum carnis se probat, servum mundi, servum iræ.

IV. Quia contentio multorum est causa malorum ex ea pullulantium, juxta illud Jacobi 3. ubi Zelus & contentio, ibi inconstans & omne opus pravum. Hinc enim iugia, rixæ, altercatio, tumor mentis, seu fastuosa aspernatio adversarij, convitia, contumelias, clamor, & vociferatio, blasphemia, perjurya, maledicta, imprecations, indignationes, rancores, & alia hujusmodi. Et ideo dicitur Eccl. 28. abstine te à lite, & minues peccata. Et Isidorus: Contentio faces horridorum odiorum accendit, pacem cordis extinguit, concordiam rumpit. Et Smaragdus Abbas in hunc locum ait: Per contentiones inutiles suscitantur iræ, generantur inter fratres discordiae, nutriuntur audaciae, procedunt litigies, efficiuntur dissensiones, emergunt emulationes, suscitantur scandala, & ut breviter dicam: nascuntur inter fratres innumeram mala. Et quod omnium caput est, quemadmodum parva sœpè scintilla magnum excitat incendium, ita ab exigua contestatione sœpè graves inimicitiae, & odia plus quam diabolica, etiam inter Religiosos & Sacerdotes prodiere. Qua de re refer Fexenfelder Historiam in hunc modum. Hist. 132.

Anni erant à redempto genere humano 260. cum duo Viri occulte Christiani, alter Sacerdos nomine Sapritius, alter Laicus dictus Nicephorus vivebant, magna inter hos intercedebat familiaritas à teneris ungiviculis ad virilem ætatem propagata. Contigit autem in puncto, quod alias non contingebat in anno, ut dissensio quædam & levis altercatio inter eos oritur ( si tamen levis dicenda est ) quæ in tantam similitatem, & in tam immane odium desinebat. Nicephorus quidem post aliquod temporis intervallum intentius expendens iræ & contentionis damna, & factum præteritum detestans, amicos subornat, qui Sacerdotem adeant, veniamque offendæ rogent, & reconciliationem impetrant; ast ille adhuc reliquias illius contentionis concoquens deprecatores faciliere jubet.

jubet. Cumque amicorum preces atque obtestationes nihil proficerent, ipse Nicephorus amore Divino vehementius inflammatus, ad adversarium suum contentiosum se confert, atque ad ejus pedes abjectus, per Christi merita obsecrat, ut veniam largiatur, & se in gratiam aut amicitiam recipiat. At & ipse nihil impetrat. O incredibilem duritiem cordis humani, hominis Ecclesiastici, & Sacerdotis, ex unica tali contentione enatam! Interea Antiochiae ingens & crudelis persecutio oritur contra Christianos, inter quos comprehenditur etiam Sapritius Praesbyter, annis jam gravis, & Sacerdotio insignitus. Sapritius nihil inde commotus, sereno & ameno vultu fatetur se Christum celer, & paratum etiam esse pro nomine Christi quamcumque contumeliam pati, & tradere corpus suum ad supplicia, ut coronatus mereatur accipere palmam. Pro Christo, ait, sibi vivere & mori lucrum esse, sed sequuntur utrumque esse paratum; immo mortem pro Christo ad utrumque est paratum; immo mortem pro Christo fore sibi vitam jucundioram. Ventum igitur ad probam est. Fustibus & plumbatis, hoc est, lores flagris, pilis plumbeis præmunitis cœditur, postremum equule torquetur, omniaque tam invicto tolerat animo, ut etiam Praesidi insultans diceret: excarnificari quidem corpus posse; animæ vero vim ullam inferri non posse. Igitur damnatur ad gladium, die postero ducendus ad supplicium. Huc usque fortiter, viriliter, constanter Sapritius, non sine Christianorum immo & Cœlitum plausu. Sed proh dolor! quam veruna est illud Apostoli 3. 16. *Ubi contentio, ibi inconstans,* & *omne opus pratum.* Igitur versus est in luctum choruss. Nicephorus enim cupiens constanter in gratiam cum illo redire, cui sors tam optanda obtigisset, ut inter Martyres paulò post (sangvine suo purpuratus) semper in Cœlo occuparet; non jam dubitabat, quin Sapritius ad Martyrium mox ducendus omnem asperitatem & animi offensam abjecisset, & libenter veni-

am impertitus esset. Igitur ex carcere prodeunt, & inter milites, lictoresque lentis passibus ad supplicium eunti pius Nicephorus occurrit, & in genua pro voluntus ait: O Christi Martyr beatissime, quantum gratulor tibi lauream coronam, ad quam capiendam duceris; tantum ego te rogo, ut recorderis mei, quem relinquis militantein; peccavi olim adversum te, penitent, condona injuriam, & ignore supplicantem. Quid responsum fuisse putas Lector a Sapritio? Nimirum nihilo mitior ad haec Sapritius, sine responso ait nos sine truci vultu, deprecationem rejicit; Lictoresque & Judices alloquitur, ne se occiderent, sacrificaturum se Dijs, & futurum Idololatram, modo vinculis exsuffatur. Ergo ad petitionem suam, sed in perniciem suam solvit, absolvitur, & ad sacrificandum ducitur. Te miserum Sapriti! quod tua te duxit contentio & defensio? huc evasit ille, ante multos annos praeteritus altercationis aestus! Quae tanti causa mali? nimirum levius illa causa contentionis, seu ipsa forte contentio, & ut cit: Author ibidem num: 2. ait: Credibile est hujus discordiae causam haud magnam fuisse, erat enim uteisque Vir probus, & ad necem pro Religione oppetendam paratus, sed ut fieri amat, ex una forsan offensiuncula nata est contentio, ex contentione iurium, ex jurgio forte fastuosior aspernatio adversariis ad hanc convitum vel contumelia sequebatur; exinde indignatio illa indelebilis, rancor inextinguibilis & demum interitus interminabilis. Convitum enim forte aegrius ferens Sapritius, utpote altiores animi spiritus volvens (quia Sacerdos, quia genere Nobilis, quia inter Christianos virtute & honore conspicuus) ingnum reputabat jam amplius, supercilium ad hominem Laicum, offenditorem suum demittere; Ecce enim parvo initio grande malum! Quid ille faciet, qui alio unde forsan ad iracundiam est proclivior, & ad deridendum vindictae incitatior a natura! Quid faciet, nisi prius

principijs obstet, & contentiones fugiat? Siquidem etiam viris Religiosis, Sacerdotibus, & bonis Christianis, hominibus honeste voluntatis, contentiones tam periculosae sunt. Timeant ergo etiam atque etiam Religiosae mentes, ne a parvis initijs ad gravissima via, ex impatientia ad cordis amaritatem, ex hac in variis irae motus, in contentionem, iurgium, averbiacionem mutuam & discordiam, ac demum in interitum devolvantur. Verissimum est, quod S. Basilius dicit: *Contentiones in principio quidens exiles esse solent, & facile curantur; at procedente tempore avitae & insanabiles evadunt.* Quemadmodum enim fragum unum ferit aliud & aliud, ita lis una parit aliam. Et sicut qui aperit vel modicè viam aquis (perforato aggere) magnæ inundationis causam praestat, sic contentioni & iurgio facile est dare principium, litem vero compонere, motos compescere fluctus difficillimum. Nolite ergo dare locum diabolo, nolite laxare vitijs ostium per contentionem, ne turmatim irruant, & omnia pia evertant. Quod etiam Gregor: Naz: (ne fores altercationibus referemus) monens dicit: *Præcedit levis dissensio, accedit gravior commotio, sequitur verborum pugna, ostendunt se signa aversi animi, negantur consuetæ humanitatis officia, demum vindictæ cupidio stimulat, gloriantur odia, patent fores diabolo.* Cujus rei testis expertus est Religiosus ille Frater Thomas, de quo supra Instrumento 22. Lege historiam, & vide, quod contendit Monachum sua abduxerit contentio, & laxata passio. Nolite contentionem amare Religiosi, sed fugite tanquam cane quid pejus & angue: fugite, quia facilius est cum fugere, & excludere, quam admissionem moderari.

V. Contentionis fugienda motivum quintum esse potest, quod saltem in Religioso sit vitium horridum nimis & scandalosum: quod horridum in Religioso sit contendere, insinuat ipsa Ecclesia, dum in Canonis-

nonicis Horis ad Primam sic Ecclesiasticos orare præcipit, ut DEUM precemur supplices, quatenus in Diurnis actibus nos servet à nocentibus, ubi primus inter dictos actus nocentes exprimitur orandum est DEUM : ut

*Lingvam refrænans temperet,  
Ne litus horror (NB.) insonet.*

Et iterum in Sexta oramus :

*Extingue flammæ litium,  
Aufer calorem noxiūm.*

Quisquis ergo de die in contentionem se immittit prodit se utique Hymnos illos & Horas aut non orat se, aut non orasse devotè, attentè & dignè, sed obiter, inadvertenter, & perfundatoriè : ast sicut contendere, *judicio Ecclesiæ* horror est in personis Ecclesiasticis, si *judicio Salomonis honor est homini, qui separat se* i contentionibus. Prov: 20. Et certè vel ideo contentionis vitium horridum dici & credi potest, quia hominis contentiosi conversationem, societatem, ac familiaritatem oderunt, & horrent boni omnes, ut experientia docet. Quām verò scandalosum hoc vitium præsertim in Religioso sit, nemo est, qui nescit. Apostolus id ipsum testatur 2. Tim: 2. *Noli verbis contendere, ad nihil enim est utile, nisi ad subversionem audientium*; quod vel maximè verum est, ubi seculare vident, audiunt, observant Religiosum contendere.

Sextum à contentione abstinendi motivum est magnitudo virtutis & meriti ; quippe qui contentiones non amat (sed magis charitatem conservare nititur) melius & DEO acceptius opus operatur, quām qui in tērmo cum magna austeritate & corporis mortificatione viveret. Prout in vitis PP. legitur, quod orante Macario (qui fuit vir austerae vitae, & in magna opinione sanctitatis) vox insonuerit, dicens ei: *Nondum ad mensuram duarum mulierum pervenisti, quæ habitant in proxima Cœnitate.* Quo audito accingit

tingit se Macarius itineri, intrans Civitatem, & æmulaturus charismata meliora, sciscitur modum vivendi & conversationem earum ; intelligitque eas esse Uxores duorum fratrum, quæ cum 15. annis simul moratae fuissent, nunquam litigârint inter se ; adeo, ut nec verbo vel facto una alteram unquam contristaverit. Quantò ergò minus Tu Religiose ad harum mulierum sanctitatem pervenisti, aut pervenies, si quandoque adhuc contentionem ames. Non est hæc Sanctorum, non verorum Religiosorum conversatio, ubi est contentionis amor, seu frequens contentio. Veri Monachi nesciunt contendere verbis, ast sciunt cedere, & submittere sese ; prout fecerit Monachi illi, de quibus itidem in vitis PP. Duo in una habitabantur Cella, & cum nunquam vel modicam contentionem inter se habuissent, dixit alter ad alterum : Faciamus & nos litem, sicut faciunt homines seculi ! Respondit alter : Nescio quomodo fiat. ( O felix ignorantia, quia nescit, quid contentio sit ! ) Dixit ergò : Ego pono illum laterem in medio, & dico, quod meus est : & tu dic, non est tuus, sed meus : & hoc modo fit rixa seu contentio. Fecerunt ergò sic ; dixit unus : meus est. Respondit alter : Spero ego illum esse meum. Reposuit alter : in domo meus est ; tunc dixit alter : Si tuus es, tolle illum. Et nescierunt facere aut sovire litem. Quod si omnes Religiosi tam scienter nescij, & sapienter indocti essent, ut nescirent ( practicè saltem ) producere litem, & efficere contentionem, quam sane docti & eruditii essent in virtutis schola, in qua ex professo docetur nescire contendere, seu contentiones non amare ? quam citò, quam facilem sanctitatem illarum mulierum, Sanctique Macarij æmularentur, & exæquarentur.

Quæres igitur, quænam sint contentionis facile fugiendæ remedia ? Respondeatur : primum & primatum esse refrænationem interioris commotionis per silencium.

silentium. Hinc illud remedium mulieri non nisi verbera recipienti à Marito , utpote contentiosæ , & importunâ lingvâ adversus Mariti crapulam tumultuanti, illud consilium datum est, ut veniente Viro ebrioſo aut iracundo, aquam in ore retineret, donec in lecto Virum composuiffet, & sic cessaturas posthac rixas omnes & pugnas. Nimirūm minima lingua laxatio excitat rixas, provocat jurgia, creat discordiam, diſſolvit charitatem. Utantur ergo & Viri dicta Recipe ſeu remedio, nempe silentio ; quando agendum eſt cum iracundo, indignabundo, contentioſo adverſario ; eſt ſanè certum remedium præſervativum ab hujusmodi poffimis, aliās naturaliter qualiſe qui ſolitis contentionibus. Probatum eſt.

Secundum remedium eſt declinatio à converſatione frequenti & colloquio cum viro litigioso ; vel faltem diligens cautella, ne ulla ei præbeatur ~~enī~~, iuxta illud Poëtæ :

*Contra verbosos noli contendere verbo.*

Unde declinare oportet contentioſos qui libenter contendunt ; aut faltem cavere verba & diſcurſus, qui materiam ſubministrare poſſunt litis & contentionis

### De contentionibus Scholaſticis.

**Q**uæres ſecundò ; an hoc Instrumento censentur etiam Monachis inhibitæ diſputationes, ſeu ſcholaſticæ contentiones ? R. S. P. Benedictus hic non inhibet, niſi contentionem pravam & malam ; fed utique non omnis diſputatio & contentio, præſertim Theologica vel Philosophica, ſeu alterius ſcientiæ, prava & mala eſt, ergo non omnis inhibita. Nihilominus placet annotare, quæ S. Thomas 2. 2. Q. 38. Art. 2. annotat : Potest eſſe decertatio, ſeu concertatio Sapientium, & (ſi viſ ita loqui) contentio contra veritatem pro falſitate, vel contra falſitatem pro veritate. Dicitur

certatio & contentio contra veritatem utique vituperabilis est, & potest saepe esse peccatum mortale, immo peccatum in Spiritum S. ut ait Ant: Perez: in hunc locum num: 238. quia peccatum in Spiritum S. consistit vel maximè in confutando protervè veritatem agnitionem: maximè si seriò fiat & non præcisè exercendi ingenij causâ, & cum debita modestia. Si vero contentio fiat contra falsitatem & pro veritate, laudabilis fane est, si tamen cum debito modo & acrimonia debita, non excessiva & immodesta fiat, aliàs erit peccatum veniale; ita citat: Abbas & Theologus solidissimus. Quod observari & bene notari vult ab illis, qui etiam si sciant, aut scirent oppositum verum esse, & agnoscant ratione se convictos esse, adhuc tamen protervè audent oppositum tueri ac defensare: adducit que Chrysostomum docentem super illud Pauli: Contentiones devita: contentiones etiam adversus Hæreticos (qui animo decreverunt sententiam non mutare) omnino vitandas esse, quia nullum exinde commodum reportatur, sed est projicere fabas in partem, & seminare inter faxz.

Ne denique etiam disputationis utilitas in contentionis vanæ perniciem deflectat, monet Greg. Nazianzenus: Oratione de moderatione in disputationibus servanda: quod licet sine acrimonia animorum, nec magnum aliquid seu pietatis, seu ejuscumque virtutis opus exequi possit, adeoque nec disputandi exercitium omni acrimonia & energia carere possit aut beat, attamen magna & ferventia ingenia (ait) nisi prudentia & ratione gubernentur, tumultus tantum, & hos quidem inutiles excitabunt. Quare sicut ad hoc, quod equus à bello, vel à cursu, victor & non vicitus discedat, non solum illi opus est acris & generosa natura, sed etiam, ut sit frœno eruditus, & acutiori exercitatione domitus & cœcuratus, ita etiam in disputando oportet frœnum adhibere ferventiori naturæ, seu

seu excessivo fervori. Et Oratione 33. ait: *Qui p̄i  
verbo acerius (quām VERBO ipsi nempe D E O  
gratum sit) depugnant, hominibus mente capit̄is simili-  
les sunt.* Et ad finem orationis 2. dicit: *Si mibi ob-  
temperandum duxeritis, supervacaneas & inutiles ostend-  
tationes valere jubete; atq; id potius curate, ut per mor-  
rum probitatem, honestamq; vitae rationem ac sermonis  
periculo vacuos, ad DEUM, alteriusq; seculi, NB. Veri-  
tatem & contemplationem perveniat.* Sic benē incipi-  
tur, sic optimē finitur Disputatio. Hoc ergo pro con-  
tentioñib; literatijs ante omnia monendum, ante  
omnia cavendum est, quod Greg: monet: ut super-  
vacaneæ & inutiles ingenij ostentationes, inanis glo-  
riæ filiæ, in hujusmodi verborum contentionib; evi-  
tentur. Monente idipsum S. P. Benedicto: elationem  
semper & jactantiam fugere. De quibus Instrumento  
sequentि.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. Ne  
amarē contentiones, quia prorsū ignominiosum &  
probosum viro Religioso est, quia lignum vel super-  
biæ, vel stultitiæ, vel alterius perversitatis & malitiae  
est, quia non nisi carnalis & animalis hominis est con-  
tendere, quia multorum malorum, apostasiæ, perdi-  
tionis & interitus causa est, quia in personis Ecclesiasti-  
cis horror & scandalum est.

2. Non tantum contentiones non amare, sed ne  
quam contendere, neque cum Religioso seu Confratre:  
Multò minus cum sæculari, quia grandius malum est.  
Nec cum Religioso subdito, & inferiore: Omnia  
verò minimè cum Superiore & Majoře.

3: Commotionem interiorem subito supprimere, &  
inguam compescere, & cohibere, priusquam in verbis  
huius prorumpat.

4. Coram contentioſo filere, & corde tarto conservare  
patientiam, eorumq; conversationem fugere, aut saltu  
omni modo singulariter cavere, ne ansa quæpiam ei pra-  
beatur.

5. Ellas

5. Etiam aliorum contentiones non antare, sed semper cavere, aliquo verbulo suppeditare materiam litis & contentionis.

6. Pro falsitate aliqua sive falsa sententia contra veritatem agnitam non disputare, nisi ad summum solius exercitij causam, & cum protestatione seu externa seu interna.

7. Etiam pro veritate non contendere excessivè & immodestè.

8. Si rationibus oppositis convincaris, nunquam protinus contrariorum ultraicte defensare & tueri.

9. In disputationibus exercitij causam, non quidem omninem acrimoniam & energiam deponere, sed tamen undam modestiam, differentiationem, mansuetudinem ostendere. Vide an feceris sic, an facere velis.

## INSTRUMENTUM LXIX. Elationem seu jactantiam fugere.

**R**ARUM contentiosi sunt, nisi qui elati sunt. Quia ut rectè Sapiens dixit, Prov: 28. Qui se jactat, & dilazat, iurgia concitat. Sic contentionis & iurgiorum occasionem ex parte sua præbuit petulans ille & elatus Pharisæus, qui se jactans dicebat: Non sum sicut cæteri homines raptiores, injusti, adulteri, sicut etiam hic Publicanus. Rectè igitur proscriptâ prius contentionē, proscribit hic S. Legislator contentionis anfam & radicem, scilicet elationem & jactantiam: ut enim amputetur certius & facilius contentio à Religiosis, præscindenda prius & ante omnia est elationis, quæ invidiæ, contentionum, & plurimorum vitiorum est causa & radix. Sicut enim arescant haud dubie rivuli, si fontis vena præscinditur, nec rami,

convalescere possunt radice succisâ, sic deficiunt sexcenta vitia, si elatio juguletur. Sit igitur

¶. I.

Quid sit elatio, & cur fugienda?

**E**latio, si nominis etymologia spectetur, est *qua-*  
*dam extra se*, seu supra se & vires *latio*, & *qua-*  
*dam* superbiæ species, ut ait Greg: lib: 23. mōra: cap: 7.  
**Hinc** Daniel: 5. 20. dicitur de Nabuchodonosore: *quo-*  
*niam elevatum est cor ejus, & spiritus illius obfirmatus in*  
*superbiam* (ecce connexionem & nexus elationis &  
 superbiæ) *depositus est de solio Regni sui, & gloria ejus*  
*ablata est.* Est ergo elatio quædam elevatio sui supr*se*; sive quædam superbiæ species.

Primus elationis Author & elatorum omnium  
**Coriphæus** est Lucifer, de quo dicitur Ezech: 28. *Ele-*  
*watum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in tr-*  
*zhedra Dei sedi.* Tantæ tamque stolidæ superbiæ &  
 elatæ mentis fuit Lucifer, ut Deum se diceret, cùm ei-  
 set creatura. Adeò insolens est elationis vitium, u-  
 quandam mentis amentiam inducat: Nam impossibi-  
 lia quædam affectant, & reputant possibilia elati-  
 ambulant in magnis & mirabilibus super se. Longe  
 proinde sit talis stultitia, seu elatio à Monacho, qui ad  
 studium abjectionis obligatus est ex suo voto. *Stul-*  
*tus equidem est Monachus elatus, utpote sui tam diffini-*  
*lius!* qui humiliis videtur ex consueta & habitu, sed glori-  
*fus* appetet ex gestu & verbis. *Sane nec in stultissima*  
*quibusvis, ridenda magis aut explodenda est stultitia,*  
*quam in Monacho elatio, vel jactantia.* Ita Gerardus  
 Belga. Ex quo proinde habes, quid elatio sit, nempe  
 deliratio & stultitia, præsertim in Religioso. Elatio ex-  
 mentis vinculatio, quâ mens elata vinculatur & tra-  
 ditur in consortium & potestatem Diaboli. *Caveat*  
 ergo Religiosus, ne in superbiam elatus in judicium in-  
 grediatur.

tidat diaboli, ut loquitur Apostolus I. Tim: 3. Qui enim elatus est, diaboli supplicia sustinebit, ut interpreatur Chrysostomus To: 2, homil: 92. in Matth: Utilius est (inquit Isidorus) quocunq; vitio labi, & humiles post casum DEO fieri, quam per elationem superbire. Elationis est corruptio animæ. Nam elatio mentis ex Angelis dæmones fecit: quid in homine faciet ex homine? Ergo nolite Religiosi esse elati; quin potius agite, ut dicere cum Davide possitis: Domine, non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei: neq; ambulavi unquam in magnis, & mirabilibus super me.

Causæ ergo, ob quas elatio & jactantia fugienda sit, seu ob quas hoc Instrumentum Discipulis suis S. P. Benedictus præscripsérunt, plurimæ sunt. Primi: quia contentionis, invidiæ, & plurimorum aliorum vitiis caput, initium & origo est elatio vel jactantia. Ex his nascuntur hæreses, Ichismata, detractiones, invidiæ, rixæ, dissensiones, contentiones, præsumptiones, verbositas, vanitas, mendacium, ac etiam perjumentum, & cætera hujusmodi. Deinde, quia spoliat hominem Divino favore, justificatione, gratiâ, ut patet in Phariseo. Et certè omnibus superbis DEUS resistit, humilibus dat gratiam. Jac: 4. Et Bernardus ait: Elatum cor expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiae Divinae. Tertio, quia omnia virtutum germina destruit; sicut enim est origo tantorum criminum, & privationis gratiæ DEI, ita & ruina est omnium virtutum: & sicut humilitas omnium virtutia enervat, omnesque virtutes colligit & roborat, sic elatio & jactantia enervat virtutes, atque exsiccat; recte dicente Poëta:

Inquinat egregios adjuncta elatio mores.  
Dum igitur virtua cætera in peccatis, elatio & jactantia etiam in benè factis timenda est. Quartu: quia elationis & jactantia multiplici pœnâ etiam temporali puniuntur. Deposuit enim semper DEUS potentes de

sede, & exaltat humiles : exaltat, qui se humiliant, humiliat, qui sese exaltant : Certè propter elationem & jactantiam prostratus est Goliad, Amon suspensus, interfactus Nicanor, peremptus Antiochus, Pharo submersus. Demum poenâ etiam punitur aeternâ isthoc vitium, dum *in superbiam elatus in iudicium incidit diaboli*, hoc est in diaboli supplicium, *Chrysostomus explicat: Supprimamus*, ait, *punc elationem & inflationem, si volumus esse puri, & ab eo, quod diabolo adjacet, erui supplicio. Quoniam hominem ipsum eadem cum illo ( scilicet diabolo ) pati necesse est.*

Est autem elatio duplex, alia cordis, alia oris. Fugienda utraque, quia utraque noxia : ut dicere cum Poëta possis : *Et magis haec nobis, & magis illa nocet.*

De elatione oris specialiter agemus s. sequenti ; ubi ex professo de ea, sive de jactantia agemus. Hoc vero s. solâ elationem cordis discutiemus, & haec non discussimus. Vidimus quid elatio mentis sit, quis Author ejus ; quanta malitia ejus ; quænam damna afferentur inimicorum ; quænam causæ sint aut esse possint, ob quæcum elatio tum jactantia fugienda sit. Nunc ergo breviter inquirendū est, quibus indicijs & signis elationes inimici cognosci & deprehendi possit, ut illi tanto faciliter obviare, eamque radicitus extirpare possimus. Varias autem sunt elationis signa & indicia. Imprimis

*Elationem* ( teste Smaragdo Abbe in Regulam S. Benedicti Instrumento 34. ) prodit *eretta cervix, facies torva, truces oculi, sermo clamosus.* Item, qui Majorum suorum non observant imperia, sed judicant ; qui de suis negligentijs objurgati, aut rebellant insolenter ; aut murmurant, qui de loco superiori disputant, præferri se alijs affectant, simplicitatem spiritualium Coenfratum exaggerant, suas sententias procaciter jactant. Senioribus reverentiam denegant, omnes isti elati sunt, seu elationis spiritum habent. Elati sunt, qui cunque habent vel in mente & intentione sua pertinaciam

etiam, vel in corde duritiem, vel in sermocinatione jactantiam. Qui in subjectione impatientes sunt, ad obsequium duri, ad loquendum prompti, &c. Omnes isti elationis spiritu probabiliter ducuntur. Hæc enim & similia teste Smaragdo sunt elationis grassantis indicia; hæc vitia, quibus DEUS offenditur, ut recedat, invitatur diabolus, ut veniat: mentesque sic elatas possideat.

S. Bernardus quadruplicem elationem ponit à Religioso fugiendam: sive quadruplex elationis signum: nimirum cordis, oris, operis, & habitus. *Elatio cordis* est, quando homo internè seipsum magni estimat, sive quando in oculis suis magnus est. De quibus Esa. 5. V<sup>a</sup>, qui sapientes estis in oculis vestris. *Elatio oris* est, quando homo de se magna loquitur, & vocatur jactantia. *Elatio operis* est, quando homo quod exterius operatur, ideo operatur, ut appareat excellens & magnus. *Elatio habitus* est, quando, ut gloriosus & excellens videatur, gloriose & excellentibus se ornat vestibulis, aut fastuoso gradu incedit. Præterea qui bonum, quod habet, à seipso se habere existimat, elatus est. Qui sapientes se credunt, & volunt esse sapientiores alijs, qui sunt suæ voluntatis, & quod ipsis placet, faciunt, raro quod alijs, elati sunt: sive in his se prodit vitium elationis. Juxta illud Poëtæ: *Suppli-  
cium elato est parere; subesse Magistris.* Et hæc elationis species præcipue se insinuat in Novitijs, & est periculosa, teste Turrecrem: in Reg: cap. 4. Instrum. 35. Elati sunt, & quidem turpiter elati, qui volunt habere in Clauistro, quod non habebant in seculo, scilicet delicias, deliciosas accommodaciones, cellas, habitationes, vestes, & alia utensilia exquisita, delicata, pretiosa; item delicatas, splendidas, lautas mensas, &c. vel etiam honorifica officia, magnos titulos & nomina. Contra quos Augustinus in sua Regula ait: *Non ea querant in Monasterio, quæ nec foris habere pos-*

*tuerunt. Turpe est in Monasterijs inflari pauperes, quando illic humiliantur, aut humiliari debent & divitiae Elati sunt, qui in Claustro gloriantur de divitiis, quas habuerunt; vel de hoc, quod eas Monasterio attulerint, vel de alijs rebus vanis v. g. deliciis, recreationibus honoribus, amicitiis, quibus in seculo potiebantur. Contra quos iterum D. Aug: in Regula sic loquitur: Non extollantur, si communis vita & aliquid de suis facultatibus contulerint, nec de suis divitiis magis superbiantur ijs in Monasterio fruuntur, quam si eis in seculo fuerent. Quid prodest dispergendo dare pauperibus, cum aurum misera elatior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo.*

S. Bernardus alibi adhuc plures ponit elationis species, seu signa. I. Si videris Monachum oculis vagari, caput erectum habere, & alios curiosè contemplantem ac circumspicientem. Ex his exterioribus interiorem hominem clatum esse cognosces. Secundò. Si plus de se Religiosus, quam de alijs presumit, elatus est. Tertiò. Elatus est, qui ante tempus & ordinem in consiliis aut collocutionibus primus respondet, non vocatus acceptus, non missus se intromittit, qui reordinat ordinata, qui quidquid ipse non fecerit aut ordinaverit, non ritè factum, non rectè existimat ordinatum. Elatus est, qui mediocre officium, quod injungitur, despicit, arbitrans sibi majora deberi, & se ad majora esse idoneum. Elatus est, qui, cum objurgatus fuerit, declinat in verba malitia ad excusandas excusationes in peccatis, dicens: Non feci, aut feci quidem, sed bene feci: Aut non malâ intentione. Nimis: ut Poëta ait Mezlerus libro 3. Capite. 46.

*Contemni metuit! pudet hinc errasse videri:*

*Et velo vitium deteriore tegit.*  
Verum quisquis talis est, elatus est, & prodit se elationis vitio laborare. Elatus est, qui quidem peccatis non excusat, aut defendit, sed fatetur (convictus forte)

forte evidentiâ facti, ) attamen elatio citò deprehendi-  
tur, dum congrua pro delicto pœna injungitur: vasa  
enim figuli probat fornax, & tribulatio vere pœnitentia-  
tes discernit. Nam, qui veraciter humilis est, laborem  
pœnitentiæ non exhorret, sed quidquid sibi pro culpa,  
quam serio agnoscit & odit, injungitur, tacitâ con-  
scientiâ patienter amplectitur. Cujus verò simulata  
& elata confessio est, unâ vel levi contumeliâ, aut ex-  
iguâ pœnitentiâ affectus, jam humilitatem simulare,  
jam elationem dissimulare non potest. Murmurat,  
frendet, irascitur, ac per hoc in novum gradum super-  
biæ & elationis corruisse probatur? Elatus est omnis  
frontosus & impudens, qui non æqualibus solùm sed  
& superioribus se libenter opponit, quique priùs laten-  
ter arrogans fratres contempserat, jam patenter inob-  
ediens, etiam Magistrum contemnit. Elatus demum,  
& elatorum Antelignanus est, qui nec Prælatum, nec  
fratrem reveretur & timet (quod multi jactant) Ich  
frag umb keinen nichts. Hæ scilicet sunt notæ, qui-  
bus elatum & elationem dignoscere, agnitam vitare  
possis.

Synopsis & praxis hujus S. I. Non querere mol-  
libus vestiri, quia qui molibus vestiuntur, in domib⁹  
Regum sunt, non in cætibus Religiosorum.

2. Fastuoso gradu non intedere, sed humili gressu.
3. Cervicem erectam non gerere, prout elati solent.
4. In sermone non esse clamosum, aut verbosum.
5. Vultum & corporis situm modestum, non fastu-  
sum præferre, illumq; fugere, qui sapit elationem.
6. Majorum imperia non judicare, sed observare.
7. Ad objurgationes Majorum non stomachari, in-  
dignari, murmurare, sed letari.
8. Superiorum locum non prætendere, sed cuivis li-  
benter cedere ex animo.
9. Nulli seipsum anteferre, nec affectare præferrere  
alijs.

10. Nullius simplicitatem, &c. exaggerare.
11. Reverenciam debitam nulla negare, maximis Senioribus.
12. Subjectionem & dependentiam libenter habere & ferre, non impatienter aut animo invito.
13. Ad loquendum (maxime quod nescis) promptum non esse.
14. Elationem non solum cardis, sed etiam operi fugere, nil ceterius operando eo fine, ut appareas excellens.
15. Bonum nullum adscribere sibi, sed in DEUM re fundere.
16. Non sis extolli de sapientia, aut sapientem se eredere, ut si quis sit capit, nec nisi proprio sensu & arbitrio suo regi velit; sed facere libertus, quod imptatur, aut quod videtur alijs.
17. Alios non despicere, seu Religiosos, seu seculares, sed illis praeferre.
18. Non appetere delicias, deliciosas accommodaciones, accommodatores Cellas, habitationes jucundiores, vestes splendidiores, utensilia pretiosiora (maxime propria) lanta prandia, honorifica seu in honorem & estimationem cedentia officia, magnos titulos, &c.
19. Non esse negligentem sui, & curiosè obseruantem alios, ac circumspicientem.
20. Non plus de se quam de alijs presumere; non primum locum ambire in Conventibus, non respondere primum in consiliis, non accedere, nisi vocatum, non se intromittere nisi missum, non reordinare ordinata, non improbare facta, non judicare judicata, sed acquiescere dispositioni Majorum.
21. Nullum officium tam vile sit, quod aspernari, iudicans te melioribus aptum.
22. Si ob aliquos defectus corrigeris vel commoneris, non excusare illos; negando factos, aut factos non esse male vel male intentione, sed humiliter dissimulare.

23. Injunctionem pro delicio panam patienter, liberanter, humiliter sustinere.

24. Nulli je libenter opponere, ne aequalibus quidem, multo minus Superioribus.

Vide, in quo reus sis elationis; & disce esse (me deante Christo) humilis corde.

## ¶. II.

### De jactantia, & remedijs contra elationem & jactantiam.

**J**actantia est species seu nota specialis elationis; de qua sequentia adfert Bernardus; Plerumque qui elatus est, jactabundus est; cumque sic describit; Elatus & jactabundus esurit & sitit Auditores, quibus suas jactet vanitates: inventa autem occasione loquendi (si sermo de literis exoritur) vetera proferuntur & nova: volant sententiæ, verba resonant ampullosa: prævenit interrogantem, non querenti respondet, ipse querit, ipse solvit, & verba collocutoris adhuc imperfecta abscindit. Item alia jactantia est eorum, qui, si de Religione agitur, laudant jejunia, commendant vigilias, super omnia orationes exaltant; de humilitate, de patientia, de cæteris virtutibus plenissime disputant; si ad rem & ad opus veniunt, tunc sunt laudatores solum bonorum operum, non factores. Alij elati & jactabundi sunt, qui, si ad iudicra sermo convertitur, in his tantò loquaciores sunt, quanto assuetiores; conantur omnes sale faciensque superare, eo tantum fine, ut videatur esse homohilaris, jucundus, facetus, qui præ alijs aptus sit jucundisibus conversationibus. Et hæc jactantia est. Præterea elatus & jactabundus est, qui se verbis extollit super cæteros, sed non plus cæteris aliquid agit; Non melior esse studet, sed videri. Elatus & jactabundus est, qui

se ipsum laudat, aut certè laudatori credit, & laudari gaudet. Igitur jactabundus est, qui sua quotidiè jactat facta, successus, progressus; qui singulis diebus anni vendit diem unum, seu facta illius diei in laudem propriam divulget. Jactabundus est, qui os suum ponit in cœlum, & tamen lingua eorum transit in terra. De magnis loquitur, quatenus magnus videatur, & tamen parvus invenitur, quia parva facit. Et hujusmodi jactantia, quam hic S. P. B. cum elatione fugere præcipit, est elationis filia: quia, ut Isidorus ait, *nisi præcesserit occulta elatio mentis, non sequitur ex perta jactantia laudis.* Importat ergo jactantia hoc super elationem, quod homo non mente solum, sed verbis se extollat. Quo sane vitio nihil est impudentius. Quid enim tam proprium verecundiae, quam propriis vitare laudes, vitare jactantiam? quid autem turpis & pudore dignius elatione & jactantiâ, dissensionum seminatrice? quæ, ut sua elevet, aliena deprimit. *Via tibi dicam* ( ait Chrysostomus, loquens de Publicano & Phariseo ) quantum bonum sit modestia? quantum malum jactantia? peccator justum superavit, Publicanus Phariseum, & verba factis fuere superiora. Quonodo verba? Publicanus dixit: *Deus propitiatus es mihi peccatori.* Phariseus dixit: *non sum sicut ceteri homines, jejunio bis in Sabbatho, decimas do.* Phariseus opera iustitiae præstabat, Publicanus verba modestia dictabat, & verba plus potuerunt quam facta: tantusq; tres sacrus operum bonorum cum elatione & jactantia coniunctus rejicitur, & tanta Publicani inopia elationem & jactantiam fugientis inter divitias computatur.

Porrò pro meliori & exacta observantia huius Instrumenti, vel maximè caveat jactare opera sua bona, ne de bona observantia se reddat elatum; uti faciunt non nulli: Qui, si forte quodpiam boni operis ovum partunt, mox illud gallinarum more decantant, dicentes: *Hoc feci, hoc soleo quotidiè facere, &c.* de quibus An-

fel. Bisling digress. 12. num. 4. ait: Vidisti quandoq; pueros pannosos, propter unam exilem rubeam ligulam laceratæ manicæ affixam, sive novam laciniam veteri vestimento assutam, valde se pulchros & decoros existimare, elatos fieri, & circumquaque aspicere sese, sibi complacere, se jactare, & gloriari in decore suo, credereque se ab alijs quoque eapropter aestimari, laudari, & placere illis. Aitque elatio & jactantia de bonis operibus, Religiosos viros, aut certe Tyrones & Novitios hisce pueris reddit simillimos, dum videuntur sibi coram DEO jam magni in devotione, perfecti, sanctuli, dum sensibilem in orationibus devotionem habent lacrymantibus forte oculis, & tunc jam familiarissimos DEI amicos se putant, cum tamen in passionibus suis animalibus necdum sint mortificati. Huic vanæ elationi & jactantiae accedit & altera elationis & jactantiae miserrima stultitia & stultissima miseria, quod ubi saeculares, per rapinas, usuras, gulas, luxurias, & carnis voluptates, adeoque saltē per bonum utile & delectabile seipso in perpetuas flammæ præcipitant, hæc suos devotos, id est elatos & jactabundos per ipsissimum mundi contemptum, paupertatem, obedientiam, castitatem, per ipsas suas austeriorates, vigilias, flagellationes, inedias, jejunia, per longas orationes, & asperas mortificationes, post mortem æternis ignibus mancipet. Sicque quasi è purgatorio claustralib; educti, in ipsum insuper infernum bis miseri devolvuntur! Ridet certe diabolus devotionem tuam, vigilias tuas, jejunia, assiduas orationes, &c. Si propterea elatus, si jactabundus es, si tuam conversationem humilitas non commendet. At si viderit magna facere, neque tamen in magnis ambulare, & in mirabilibus super te, neque altis incedere cothurnis, te elatum non esse, nec jactabundum, sed humilem insuper, hoc hoc diabolum hostem tuum affigit & cruciat, si nimis tuas virtutes & opera vestita videat humilitate.

quama

quam ipse nec imitari in se, nec tolerare in alijs potest, hoc hoc est, quod diabolum elationis & jactantiæ Magistrum maximopere torquet. Cæterum si elatus es, si tua jactas opera, opera tua bona videt, & ridet; probè gnarus, quod sicut humilitas nihil est sine bono opere, sic nec opus bonum est aliquid sine humilitate. Et ut Poëta ait :

*Praestat habere parum, nec id ostentare superbe,  
Quam quibus infleris, plurima habere bona.*

Quod si verò tam infelices hi sunt, qui etiam de bonis, quæ agunt, se reddunt elatos, sequi jactant, quanto infeliores illi, qui de rebus vanis, de scientia, industria, loquacitate, nobilitate, divitijs, &c. gloriantur quid tali elatione & jactantiâ vanius esse queat i contrarium Mezlerus libro 3. capite 7.

*Est satius modicè, & sensu sapuisse modesto,*

*Quam tumidum cerebri præcocis esse Sopbum.*

*Praestat { scire  
habere } parum nec id ostentare superbe;*

*Quam quibus infleris plurima { scire  
habere } bona.*

Caveat ergo Religiosus quilibet omnem omni modo jactantiam. Caveat jactare vanitates, honores, favores, amicitias, delicias præteritas & in sæculo habitas, aut divitias in sæculo relictas, vel Monasterio allatas. Caveat uti verbis laudem propriam spirantibus, sive deinde de rebus literarijs, sive de rebus spiritualibus & Religiosis, sive de rebus Politicis, vanis aut ludicris fit sermo. Nam valde vituperabile est, ut loquitur Thymius, ut os, quod divinis laudibus mancipatum est, proprijs inserviat. Cave igitur unquam te ipsum sive directè sive indirectè laudare. Cave jactare bona opera tua, quæ facis, aut fecisti. Cave autem vel maximè jactare officia, dignitatem, Prælaturam, Superioritatem. In omnibus enim laudabile & pulchrum est

non esse elatum sed humilem, in Superioribus autem  
quam maxime. Quantò major es, tantò magis te hu-  
milia, & eo ipso major eris. Quantò major est officij  
tui dignitas & authoritas, tanto magis exornat con-  
functa humilitas. Nihil enim magis capit & rapie  
animos hominum in aestimationem & venerationem,  
quam humilitas in viris magnis, & de dignitate sua, de  
munere & officio suo non se reddere elatum. Unde  
peccant contra præsens instrumentum, qui tales se  
exhibent, quasi qui venissent ministrari, non ministrare;  
qui tales se exhibent, quasi verò ipsorum officium & mini-  
sterium non humile, placatum, placidum, mite ac divi-  
num, sed Tribunitium quoddam munus & Imperium,  
regnumq; turgidum esset, regno Manliano vel despoticō si-  
milis, quam Pastorali & paterno, cum tamen norma &  
forma Apostolica regendi haec sit: Qui major est vestrum,  
sicut sicut minor, & qui præceptor est, sicut ministrator.  
Noverit ergo quisq; Superior, impositum sibi esse ministro-  
rium, quo prodeesse & amari, non quo gloriari, superbire,  
ministrari, timeri, adorari debeat. Ita recte & optimè  
Hidorus Pelusiota gradu humil. 42. Exempla hujus-  
modi humilitatis habes in S. P. Benedicto & S. Mauro  
Abbate, qui quamvis in dignitate constituti, indignum  
tamen putabant, elationem omnem vel jactantiam  
non fugere; de quibus immediate post.

Quæres, quænam sint remedia contra elationem  
& jactantiam. w. Longum iter est ad virtutem per  
præcepta, breve per exempla; Do igitur compendio-  
ram & brevem viam fugiendæ elationis & jactantiae,  
adducendo imprimis in exemplum M. Patrem Bene-  
dictum; qui, ut elationem animi, hominum applau-  
sus, honores, encomia effugeret, quos merebatur Be-  
nediti adhuc pueri pietas & perfectio, fugit consortia  
hominum, fugit ex oculis omnium. Nam (ut loqui-  
tur S. Gregorius) adhuc in juventute sua & ætate tene-  
ta, sola oratione capisterium fractum reddidit integrum,

ut in eo inveniri nulla vestigia fracturæ potuerint; cumq[ue] res hæc in tanta admiratione à cunctis haberetur, ut hoc ipsum capisterium ejus loci incolæ in Ecclesia ingressu suspenderent, quatenus & præsentes & secuturi omnes agnoscerent, à quanta perfectione Benedictus puer, conversationis gradum cœpisset, ut inquam elationem inde sortituram, jactantiamque fugeret, nutricem suam occulte fugiens, deserti loci secessum petiit, & in arctissimo specu se coarctans, tribus annis excepto Romano Monacho omnibus hominibus incognitus mansit. Nonne hoc est elationem & jactantiam fugere. Quid quod S. Maurus benedictione à S. P. Benedicto postulata atq[ue] percepta ad Patris sui imperium concitus pergens, super aquas sicco incessit vestigio; cumq[ue] Maurus id Magno Patri Benedicto referens, prodigium hoc ejus meritis & imperio adscripsisset, S. P. Benedictus elationem hic omnem, jactantiamq[ue] declinans, non suis meritis, sed illius obedientia id deputare cœpit, ut loquitur Gregorius. Verum in hac mutuæ humilitatis amica contentione accersit arbiter ipse puer Placidus undis ereptus, asseverans: *Ego, cum ex aqua traberer, super caput meum Melotem Abbatis videbam, atq[ue] ipsum me ex aquis educere considerabam.* Eduxerat ergo ex aquis Placidum Benedictus, noluit tamen eduxisse videri; ipse causa erat prodigiij, noluit tamen causa videri aut credi. Nonne hoc est elationem & jactantiam fugere.

Quadam die, dum rusticus quispiam defunctum filium suum à S. P. B. resuscitari, sibiique restituui cum fletu rogaret; Quid ad hanc petitionem Benedictus mortuorum resuscitator prodigiosus, qui jam ante Monachum à pariete contritum solâ oratione, vita & integritati restituit? Recedite Fratres (ait) recedite, hæc nostra non sunt, sed SS. Apostolorum. Tandem precibus afflicti rusticus vietus, cum Fratribus flexit genu (ne sibi soli aut meritis suis miraculum imputaretur) dicens; *Domine, ne respicias peccata mea, sed fidem*

fidem hujus hominis, qui resuscitari filium rogat, & rede in hoc corpusculum animam, quam abstulisti. Ditem, factum! vix verba compleverat, jam puer rex vixerat. Nonne hoc est elationem & jactantiam fugere? quam ut effugeret, allegavit fidem illius hominis, non sua merita. Adeo in sui nihilo & humiliatis abysso absorptus S. P. B. fuit, ut omnem elationis seu jactantiae occasionem quantocuyus removeret, ac præoccuparet.

Si tantus Pater, tantorum miraculorum patrator, toto orbe famosus, tantoferre elationem omnem & jactantiam fugit, quis ergo nostrum alta sapere præsumat, & se vel sua jactare, aut ostentare? Procul sis à mentibus nostris, ab ore nostro elatio omnis & jactantia! humilia & abjecta de se Religiosus quisque sentiat & judicet, utut magna præstet. Non applaudit sibi, non infletur de meritorum seu vitæ devotionis eminentia, multò minus de solius statu sublimioris præcellentia. Memor illius, quod D. Benedictus etiam totalem & integrum omnium suarum legum observantium non nisi minimam inchoationis Regulam nuncuparit, ut quilibet, si haec omnia fecerit, adhuc servum inutilem existimet sese, semper elationem omnem fugiens, omnemque jactantiam.

Hoc vero, quod verbo & exemplo S. P. & Magister Benedictus docuit, elationem & jactantiam fugere, hoc opere ipso ad amissim implevit & observavit minimum degener Discipulus, sed S. Patris per omnia æmulus S. Maurus. Is cum ob egregias dotes & prærogativas ansam elationis & jactantiae haberet longè copiofissimam & frequentissimam, nihil tamen magis quam elationem & jactantiam fugit. Erat is clarissimo Senatorum genere, Patre Eutychio seu Aequitio, Matre vero Julia exortus, nec tamen ob generis claritatem, Parentum opulentiam, familiæ splendorem elatus aut jactabundus. Duodenis jam omnipotenti DEO

DEO devovetur, & SS. Patri Benedicto traditur à parentibus, nec tamen erat elatio in illo, quod portaverit jugum (Christi) ab adolescentia sua. Cum adhuc junior esset, cœpit jam Magistri Coadjutor esse, & testis ac cooperator miraculorum, quæ S. P. Benedictus perpetravit; nec tamen propterea elatus. S. P. Benedicto præ omnibus dilectus, ipsi Magistro admirationi fuit, qui illam saepe velut Regularis observantiae & virtutum omnium specimen, cæteris Discipulis quamvis senioribus ad imitandum proponebat, nec tamen propterea factus elatus. Quandoque etiam præsente S. Mauro in Capitulis & exhortationibus suppreno Mauti nomine S. Benedictus sic Fratres aliquid quebratur: *Vidimus nostrā state quandam strenuissimam nobilitatis juvenem, infra annos adolescentię, ita omnia Monastica Religionis arripuisse perfectionem, ut alicuius prioribus similius, immo equalis per omnia dignissimè judicetur. Et licet B. Maurus & nonnulli eis Fratribus servent, Maurum intelligi & indigitari à S. Patre, nusquam tamen succubuit jactantia, ut loquitor vitæ scriptor in actis SS. Ord: S. Ben: pag. 280. num. 9.* Solet elatos reddere quandoque ipsa virtus & observantia bona, de qua elatione & jactantia alibi S. P. Benedictus loquitur, illos beatos esse, qui de bona observantia sunt non se reddunt elatos, ast observavit sese ab omni elatione Maurus, quamvis omni virtutum genere ornatissimus. Corpus enim austere habuit, illudque spiritui subjiciens, jejunis, abstinentia, vigilijs, squalloribus, nimijsque plane frigoribus domuit, frequenter (præsertim in Quadragesima) nec tunica ne eucullia, sed solo facco cilicino indutus, durabus tantum vicibus in hebdomada parvissimum cibum sumpsit, immo potius degustavit, ad morem & imitationem S. P. Benedicti, cui mos iste in omni sua vita fuit eodem Scriptore teste. Cujus exemplo provocatus, afflictione prævalida ornem macerabat, saltē in quantum id illud ejus.

ejusdem S. Patris permittebat licentia. Reliquo extra  
 Quadragestimam totius anni tempore, sub Monachali  
 tunica, semper aspergitmo cilicio à scapulis usq; ad re-  
 hes induitus incedebat, nec dormire solitus, nisi sub-  
 strato cilicio super aggestum calcis & fabuli; nec som-  
 num jacendo sed potius stando; aut si nimis eum lassifi-  
 tudo compellebat, sedendo cepit. Nemo illum un-  
 quam vidi de somno cum cæteris surgere fratribus,  
 quin semper Nocturnas Vigilias vigilando prævenire  
 studuerit. Plerūmque quinquagenos, sæpe etiam  
 centenos psalmos, nonnunquam verò totum ex ordi-  
 ne psalterium, jam ante horas Nocturnas (quas nos  
 Matutinum vocamus) absolvit, præter orationes, la-  
 trymas & lingultus, quos reliquis horis extra Canonis  
 earum horarum tempora copiose profundebat. Cum  
 que ab orationibus quiesceret, silentio & lectioni ita  
 assidue vacabat, ut pro hoc, etiam iphi S. P. Benedicto  
 admirabilis haberetur. His ergo atque alijs, quas  
 omnes enumerando longus essem, virtutibus plenus  
 & coruscans S. Maurus, nunquam tamen de virtutibus  
 & bona observantia sua se reddidit elatum. Alias præ-  
 rogativas quid memorem, quæ alios reddidissent aut  
 reddere sane potuissent elatos & jactabundos, minime  
 verò S. Maurū. Trahebat diabolus per fimbriam quen-  
 dam Monachum sæpe foras ex oratorio, prout S. P. Be-  
 nedictus vidit. Cumq; biduo oratum esset, ut etiam  
 Maurus, & Pompejanus Monasterij Pater hoc viderent,  
 nigrū illum puerulum (cacodæmonem) qui Mona-  
 chū de choro & oratione foras trahebat, hunc S. Mau-  
 rus vidit, Pompejanus autem videre non potuit. Qui  
 Monachus virga deinde à S. P. B. percussus, ex illo die  
 nihil amplius persuasionis, à nigro puerulo pertulit,  
 sed reliquit eum ex integro antiquus hostis, ac si ipse  
 met eodem verbere percussus fuisset. Specialis hæc D.  
 Mauri prærogativa (quod DEUS eum solum præ om-  
 nibus alijs voluerit habere testem & consortem talis

visionis & talis miraculi participem , præ Patre Monasterij & alijs Fratribus , hæc inquam prærogativa Mau-  
rum nec elatum reddidit nec jactabundum ; sed humi-  
liter de se sentiebat , & tali prærogativa se indignum  
agnoscet. Denique omnibus seime miraculis , qua-  
S. P. Benedictus patraverat , præ alijs seu testem seu co-  
operatorem esse voluit S. Maurum. Maurum , non  
alium , misit , qui Placidum è naufragio super aquas  
incedens liberaret. Maurum assumpit , quando D.  
Benedictus ferramentum , quod de manubrio in lacum  
cecidit , de profundo revocavit , & Gottho tristi resti-  
tuit. Cumque gloriosus P. B. recto Orientis tramite  
cœlum ascenderet , hunc ascendentem ipse oculis vidit ,  
quem non viderat S. Romanus , in eodem Monaste-  
rio constitutus ; ejusque obitum antea B. Romano præ-  
dixit , nec tamen propterea vel in minimo jactabun-  
dus aut alatus. De miraculis ejus quid memorem ,  
dum in illis elatio nulla , sed submissio summa semper  
reluxit. Hinc liberationem S. Placidi , ambulationem  
super aquas meritis S. P. Benedicti adscripsit. Et dux  
absente semel S. Benedicto rogaretur à mœstis parenti-  
bus cuiusdam muti & claudi pueri , ut filium sibi su-  
um redderet sanum. Maurus ut elationem fugeret ,  
omni modo refugiebat hoc opus aggredi , protestans se  
peccatorem esse , & non talis miraculi effectorem , et  
quod hæc sint opera potius Apostolorum , & aliorum  
perfectorum , qui eorum exempla credendo & imitan-  
do sequuntur , vietus tamen instantibus & importuni-  
precibus tum mœstorum parentum , tum ipsorum  
Confratrum sufficientem virtutem in eo agnoscen-  
tium , in lacrymas profusas , & in oratione prostratos  
stolam quam collo circumferebat , super caput ejus  
posuit , & signum Crucis faciens dixit : In nomine SS.  
& Individua Trinitatis , adjutus meritis Sanctissimi Ma-  
gistris Nostri ( NB. ) sta sanus & in columnis super pedes  
eos. Et continuo lospitati redditus est. Ut videretur

in vita num. 25. Ubi vides, quantopere omnem elationem & jactantiam fuderit S. Maurus Thaumaturgus; quam ut fuderet, iterum miraculum patrandum meritis S. P. Benedicti voluit adscribi. Paulò post pentente Cenomanensi Episcopo præ alijs in Gallias mittuntur, illic D. Benedicti Religionem & Ordinem implantatur, ejusque discessum inconsolabiliter deplorant Fratres, omni modo volentes illum apud se habere in Restorem & Praesulem post obitum S. P. B. Hoc alium reddere elatum potuisset, ast non Maurum. A S. P. Benedicto per Epistolam informatur, & certior redditur, quod post trinam vicenorum annorum decursione (ex quo Monasterialem adjisset perfectionem, in gaudium Domini sui sit introducendus, prout pridiè id DEUS D. Benedicto revelasset, reddidisset id forsitan elatum alium, ast non Maurum. Harderadum (Nobilem quendam) per gradus cujusdam altissimæ ac mirificæ turris ambulantem & incidentem, atque ex casu gravissime toto corpore læsum, sola oratione & signo Crucis mirabiliter sanat: Viso seu pervulgato miraculo, concursus continuo fit totius suburbani populi, felicem se unusquisque fore existimans, si beatum Maurum vel videre contigisset, ut loquitur vitae scriptor: Magnificabant omnes & collaudabant DEUM & S. P. Benedictum, qui tales habere & nutritre dignus fuerit discipulos, per quos æque talia miracula operari sicut per S. P. B. Domino sit placitum. Maurus autem ut elationem & jactantiam fuderet, affectus se videre querentium fugiebat; & totum miraculum non sibi sed signo & ligno S. Crucis, quo usus fuisset, nec non mercitis B. P. Benedicti adscribi voluit. Lege vitam num. 23. 24. 25. Paulò post confractum famuli pedem, cui Sergij Nomen erat, solo iterum signo Crucis sanavit: Cæco cuidam ex Matris utero, præ foribus Basilicæ SS. Mauritij & Soc. Mart. sedenti, solo iterum Crucis signo lumen restituit; federat is undecim annis præ foribus

dictæ Basilicæ stipem emendicando, cumque intelligeret, advenisse quendam S. Patris discipulum, cuius sanctitatis fama jam ubique percrebuerat, toto corpore prostratus deprecatur, & orat visum sibi restitui. S. Maurus autem, ut elationem & jactantiam evaderet, sic eum affatus est: nunquid si voluissent, hi SS. Martyres, ad quorū limina tu undecim annis sedes, lumen oculorum à Domino tibi impetrare potuissent? Isto itaque attentius exorando deprecare, quorum magis hæc, quam nostra sunt opera, ut visum restituant. Putabat ergo S. Maurus ( elationem & jactantiam omnem longe proscribens ) se minimè sufficientem esse ut visum ei impetraret, quem SS. Martyres tot annis non impetrarunt. Et hæc dicens cœpit abire vir Santos, cœcum illum relinquens desolatum; ast iste mutuus magis clamabat & instabat, ut visum per ipsum & per Magistri sui Benedicti Venerabile nomen recipere mereretur: accedentibus igitur precibus universi populi pro eo B. Maurum rogantis, ut cum videnter redderet, merita SS. Martyrum & S. P. B. invocans, & signum Crucis super eum faciens, cum videre iussit & mox apertis oculis vidit. Habitatores autem loci illius, videntes tale miraculum, B. Maurum simul in unum congregati deprecabantur, ut benedictionem suam super eos daret. Quibus ipse hac tantum vocem respondit: *Benedicat vobis Dominus.* Nonne elationem fugere & jactantiam exemplo suo docuit Beatus Benedicti discipulus S. Maurus. Alio quodam tempore, ut Viduæ cujusdam filium moribundum sanitati restitueret, qui duobus jam diebus sine sensu & voce jacuerat, Simplicium Monahum clam vocavit, ut secum veniret, & introjens Ecclesiam dixit Simplicio Maurus: *Dolori hujus mulieris animus meus nimis compatitur teneritudine, dies enim & noctes plangendo & ululando ducit insomnes.* Quapropter plena fidei dilectionem simul accedamus, forsitan applicet illum superius

dignatio. Veniens ergo ante stratum penè jam exanimati adolescentis Beatus Maurus unacum Simplicio, eum oratione & solâ quasi præsentia, restituit sanitati, ut videre est in vita S. Mauri *num. 29.* Sed cur solus adire lectum infirmi noluit? cur Simplicium advocavit in adjutorem & socium? nisi ut elationem & jactantiam omnem effugeret. Alia miracula prætereo, dum cancro laborantem sanavit, dum signo Crucis vinum multiplicavit: dum paralyticum septem annis in lecto jacentem & toto corpore destitutum restituit, &c. Quæ tamen omnia minimè reddiderunt elatum Virmum humillimum, quin semper manibus pedibusque elationem seu jactantiam fugeret. Unum præterire non possum, ubi sese apertum ostendit elationis atque jactantiæ hostem. Dum enim operarium quandam à dæmone suffocatum vitæ restituit (*de quo infra. Instrumeto 71.*) solum Simplicium, Præsbyterum vocavit, ut priùs sacrificium missæ pro resuscitando illo offerret. Cumque resuscitatus deinde esset, mandatum accipit à B. Mauro, *ut si vivere vellet (quamdiu ipse in hac vita esset) locum illum (ubi resuscitatus erat) nempe in porticu Ecclesiæ, amplius non introiret.* Hoc autem S. Maurus (*ut loquitur vitæ Scriptor*) pro sola humiliitate præcepit, ne scilicet ipso redeunte ad locum illum, R. Maurus aut favorem hominum querere ac delectari videretur. Nonne hoc est elationem & jactantiam fugere? Erat insuper S. Maurus Viris Principibus & summis Regibus apprime charus, ut eum ipsi saepius inviserent in Persona, & munera Regia liberaliter offerrent, prout fecit Theodebertus Francorum Rex, ejusque etiam filius & regni hæres Theodebaldus: Sed & Clotarius S. Virum saepè ad se evocavit, ejusque usus fuit consilijs. Antamen propterea Maurus elatus? an ja<sup>c</sup>tabundus? minimè. Quin potius toto corpore eorum pedibus se prosternendo, humilitatem suam (non elationem) toti Orbi fecerit manifestam. *Lege vitam num. 54. apud Mabilon.*

Primum ergo remedium fugiendæ elationis & jactantiæ sit æmulatio exempli S. P. Benedicti & S. Mauri. Alterum medium erit, seipsum & imperfectiones suas defectusque tam spirituales quam corporales probè cognoscere; quodque nihil ex nostris virtibus possimus boni, sed si quid boni facimus, aut per nos quidquam boni fit, operantem in se Dominum magnificare. Ita enim faciebant viri sancti, Benedictus, Maurus, & sexcenti alij: dum nimur quædam mirabilia faciebant, ante mentis oculos prius & postea studebant revocare imbecillitatem & fragilitatem suam, ut dum ex una parte infirmitatem suam considerarent, ex ea parte quæ virtuosi & boni erant, se non extollerent. 3. Se vilem existimare, omnibusque DEI donis indignum ob peccata præterita: & non nisi pœnas, plagas, opprobria, vilipendia promittum: sic faciebat Abbas Moyses, qui in seculo magnus fuit peccator, sed magnam postea egit pœnitentiam: cumque tentaretur de elatione, recurrebat ad peccata sua præterita; hinc ipsi dæmones dicebant: vicisti nos; quia dum te exaltamus, tu te humilias. 4. Nunquam vanè de suis talentis sibi complacere, si quidem illa verè non sua, sed DEI sunt: solum peccatum nostrum est. 5. Omni conatu, in omni verbo & opere, ac etiam cogitatione humilem esse, sed nunquam velle videri, aut prædicari. 6. Omne contemptum, ignominiam, & vilem apud alios de se existimationem non modò hilariter & patienter sufferrere, sed ultrò etiam appetere. Nam teste S. Thoma Aquinatus: *Qui agrè fert vilem de se hominum opinionem, talis etiam si miracula faceret, non est perfectius.* NB. E contra:

*Qui nibili se pendit, & optat viliis haberi,*

*Quiq[ue] sibi est minimus, maximus ille Deo est.*

7. Ab omnibus lubenti animo velle discere & doceri, prout D. Chrysostomus (aniculâ objiciente sibi nimiam

iniam suorum conceptuum & vulgo inutilem sublimitatem) sese correxit, & alium concionandi modum assumpsit. 8. Nunquam plaudere vel gloriari, quasi aliquid aut multū sciat, vel quod magnos in se vel alijs NB. fructus fecerit. 9. Considerare semper meliora, quæ scire, quæ facere posses aut potuisses; nulla enim certè restat elationis & jactantiæ materia, si consideramus, quām parva sint bona nostra in comparatione ad illa, quæ alij melius sciunt aut faciunt, vel sciverunt aut fecerunt. Sicut enim incentivum elationis & jactantiæ est respectus deteriorum, ita cautela humilitatis est consideratio meliorum. 10. Considerare incertitudinem valoris operum nostrorum; sæpè enim quod reputamus magnum, parvum imò nihil est in oculis DEI. Certè nescit homo, an odio vel amore dignus sit; nescit, an opera ejus sic fulgeant in conspectu Domini, sicut fulgent in oculis proprijs. 11. Considerare humilitatem Christi, qui in nullo unquam elatus, in nullo jactabundus erat, ut ex tota vita, & omnibus actionibus Christi patet: vel etiam considerare casus eorum, qui propter elationis & jactantiæ vitium dejecti & damnati sunt: uti sunt Angeli mali. Considereret homo (ait Gregorius) quid elatus homo in terra mereatur, si etiam elatus Angelus in cœlo proficeretur? si Deus sic egit cum Angelo elato & jactabundo, de homine quid faciet, si elatus fuerit, cum sit pulvis & cinis? ille in cœlo intumuit, & tam severè punitus est, quid si homo intumescat in sterquilinio?

Synopsis & praxis hujus s. 1. Si quid gratiae, beneficij vel boni acciderit tibi vel amicis tuis, id meritis tuis & preciibus adscribere noli, esto, tales ad eum finem fuderis; sed potius meritis alienis vel Bonitati Divine adscribe, exemplo S. P. B. in resuscitatione pueri, & liberatione Placidi.

2. Omnem plausum & laudem, imò potius omnem plausum & laudis occasionem declinare, exemplo S. Patris

Nutricem suam & viciniam illam fugientis, & deserti  
secessum potenteris.

3. Etiam si in amore vel honore apud Viros Principes  
esset, elationem tamen & jactantiam fugere, exemplo S.  
Mauri, qui Regibus charius, & Regum erat Consiliarius.

4. Se s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> reflectere ad peccata praterita, & ideo hu-  
miliari, exemplo Abbatis Moysis.

5. Contemptum, ignominiam, & vilem apud alios  
estimationem libenter ferre, iuxta monitum D. Thomae  
quia alias etiam si miracula facias, non es perfectus.

6. Ab omnibus lubenti animo discere, doceri, corrighi  
exemplo S. Ambrosij.

7. Nunquam plaudere vel gloriari, quasi aliquid aut  
multum scias, vel quod magnos in te vel alijs feceris fru-  
tus, quia haec omnia non nobis adscribenda sunt, sed dona  
DEI sunt.

8. Christum imitari, & imitandum praesigere, et  
S. Maurum, ex cuius tota vita & singulis actionibus pa-  
ret, quomodo in nullo unquam elatus, in nullo fuerit jacta-  
bundus, sed super omnia elationem & jactantiam fugeris.  
Quae an hactenus feceris, vide; & quid facere posseas  
& debeas & velis.

## INSTRUMENTUM LXX.

### Seniores venerari, juniores diligere in Christi amore.

**H**umilitas bonos Religiosos ad venerationem  
provocat Seniorum, & simul ad dilectionem  
juniorum se; neque enim sincerè poterit ve-  
nerari Seniorem, aut juniorem diligere qui tumidam  
& elatam habuerit mentem. Cum igitur priori In-  
strumento S. P. Benedictus praeceperit elationem fu-  
gere, recte hic prescribit Seniores venerari, & junio-  
res diligere: quippe elatione proscripta pronum & fa-

cile est Seniores (ut dignum & iustum est) honorare, juniores verò, quamvis juniores & inferiores sint, sincere diligere.

## ¶. I.

## Seniores venerari.

**Q**uām æquum sit hoc Instrumentum, & Religioso dignum, indè patet, quod Seniores venerati non solum sacræ Benedictinæ Regulæ, sed etiam Legi naturali & Divinæ sit consentaneum. Legi naturali quidem consentaneum est, quia lex naturæ dicit, faciendum id ipsum esse alteri, quod quis vellet fieri sibi. Nemo autem est, qui in senectute sua non vellet in honore haberi à junioribus; ergo & ipse veneretur seniores se. Si vis honorari (ait Trithemius in hunc locum) da Senibus reverentiam; & hoc expe-  
dia senex, quod juvenis senibus præbuiisti. Juvenes vero dilige, quia & tu dum juvenis eras, à Senioribus diligisti gaudebas. Hanc naturæ legem probè fecutus est Ovidius, qui de se testatur, quod seniores Poëtas ipse adhuc junior ceu Deos quosdam semper fuerit veneratus, & summo in honore habuerit:

*Temporis illius colui, foviq; Poëtas;*

*Quotq; aderant Vates, rebor adesse Deos.*

Utq; ego Majores, sic me coluere minores, &c.  
Ecce fructum, quem reportavit Ovidius ex seniorum  
veneratione! Inde enim merebatur & ipse non mi-  
nor honore coli à minoribus & junioribus se Poëtis.  
*Vide vitam Ovidij libro IV. Tristium, Eleg: X.* Vis ho-  
norari in senectute, honora senes in juventute. Sic  
lex, sic ratio naturalis dictare videtur.

Quod verò præter legem naturalem, specialites  
etiam legi Divinæ consentaneum sit Seniores venera-  
ri, constat ex Levit. c. 9. v. 32. *Coram cano capise con-  
surge, & honor a personam senis, & time Dominum Deum  
tuum, ego sum Dominus, utique qui præcipio hoc.* Et

I. Tim: 5. I. Seniorem te ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem. Et I. Petri 5. Adolescentes subditi estote Senioribus. Et Plutarchus ait: Canos natura venerabiles sunt. Hinc Antiqui teste Juvenali Saty: I.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,  
Si juvenis vetulo non assurrexerat olim.

Cum Juvenale consonat Ovidius fastorum lib: 3:  
Magna fuit quondam capit is reverentia cani,  
Inq, suo pretio ruga senilis erat.

Quis ergo dubitet Venerabiles in Religione Seniores esse honorandos, qui tot annis Divino servitio dedit eximium virtutis & perfectionis gradum (uti præsumendum est) jam attigerunt. Certè etas senectutis Sapiente teste, est vita immaculata. Sicut enim parvus Ius, quamvis loquatur ut parvulus, quando tamen fū vir, evacuat, quæ sunt parvuli, ut de se dixit Paulus I. Cor: 13. Sic, licet adolescens (quæ adolescentiae sunt) inseguatur, aut insecurus fuerit, senior tamen factus quæ adolescentum sunt vitia & defectus, non solum reprimit, sed evanescat. Ergo vel ideo honorandus Deinde Religiosus jam ævo gravis, & multorum meritorum cumulo plenus, meritorum suorum plenitude, magnam utilitatem adfert Communitati. Ergo honorandus. Deinde est juvenibus stimulo & exemplo ad bene vivendum. Nam solo intuitu eos ad bonum invitat; cumque omnibus prospicit, ipsi etiam omnibus observantia optimo jure debetur. Accedit, quod in senibus sit, aut certè esse præsumatur meritum consiliorum maturitas, & multa prudentia saltem experimentalis; juxta tritum illud: *Mens, ratio, & consilium in senibus est.* Et Jobi 12. v. 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Et Psal: 104 Senes ejus prudentiam docebunt. Et ad hunc usque dicem Senatus prudentum virorum & Reipublicæ Procerum, à senio nomen gerit, eò quod in senibus decrescant cœterā, v. g. robur, valetudo, &c. crescat tamen sapien-

sapiencia sola ; Hinc & Nazian: sententia 57. ait : *Sex  
vix sapientia excellit, juvenis autem viribus corporis.*  
Hinc etiam Poëta :

*Hasta decet juvenem, consiliumq; senem.*

*Plus valet umbra senis, quam gladius juvenis.*

Quis autem ille est, qui non veneretur Virum sapientem, prudentem, peritum, expertum, & imbutum diverso notitiae & scientiae genere. Ergo dignum & justum est Seniores venerari.

Sed dices : si talis esset iste vel iste senex, esset honore dignus ; ast non est talis ! nihil habet in capite, nihil de solida probitate, virtute, Religiositate, &c. Sed audi, rogo te, si talia de Senioribus tuis præsumis Religiose, si talia suspicaris, adhuc elatus es, adhuc elationem & jactantiam non fugis, quia te illis præfers. Nam ut rectè Gerardus in hunc locum ait : *Quantum quisq;  
Seniorem se (quemcunq;) in Cœnobio non reveretur, tan-  
tum sui amator elatus, & aliorum contemptor esse cognoscitur.  
Hoc verò tantò indignius est, quantum junior  
ille est, qui contemnit, & quantum senior est, qui contem-  
nitur. Et prob Deum immortalem ! quantum excre-  
stet cum annis, si non malum hoc stirpitus amputetur in-  
teneri ! Notent verò hic Seniores, quod sicut hic ju-  
nioribus incumbit eos venerari, ita etiam eis incum-  
bit, sese veneratione dignos præstare. Canities autem  
tunc venerabilis est, quando ea gerit, quæ canitiem  
decent.*

Porrò Seniorum nomine intelliguntur hic omnes Superiores, sive Majores, statu, gradu, officio, dignitate, ordine, meritis & sanctitate ; & non solum, qui professione seu annis professionis sunt seniores : omnes enim isti Seniores intelligi & appellari possunt ; adeoque omnes specialiter honorandi sunt, specialiter inquam, id est non communi honoris exhibitione, qualis etiam omnibus hominibus competere potest, de qua supra Instrumento 8. ubi jubet S. P. Benedictus hono-

honorare omnes homines. Seniores verò hic honorati vult specialiori honorificentia, quæ non tribuat ut omnibus hominibus.

Porrò quomodo specialiter honorandi sint Senioris sive secundum ætatem, sive secundum officium vel professionem in Religione, sequentes modos suppeditat hic Card: Turrecremata. Primus est, diligenter & humilem præstare audientiam loquenti, pro ut alibi S. P. B. monet: *Coram senioribus usq; ad interrogationem non loqui, eò quod discere & tacere conveniat iuniori & discipulo: docere & loqui Seniori & Magistro.* Unde Sapiens Eccles: 32. monet: *Audi tunc, & pro reverentia accedet tibi magna gratia. Adolescens loquere in tua causa viæ. Si bis interrogatus futuris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quæ insecurus, & audi tacens, simul & querens: In medio Mænitorum loqui non præsumas, & ubi sunt senes, non multum loquaris.* Secundus modus venerandi seniorem est, illi venienti assurgere, quod alibi S. P. B. monet & prohibet nec sedere cum vel coram illo, nisi ipsorum seniore volente, aut licentiam dante. 3. Transeunti seniori pariter assurgere, deponere caputum vel pilulum. 4. Inclinare se illi, & salutare humaniter. 5. Exhibere quædam obsequia, & certa charitatis aut honoris officia præstare, quæ ab illo desiderantur, vel desiderari possint. 6. Relinquendo Seniori semper meliora, puta, equum, ferculum, vestem, &c. 7. Offerendo Seniori semper digniorem locum, & præcedentiam, in mensa, in via, &c. Octavò licebit Seniori venerari benedictionis petitione, per decentem & reverentem capitum inclinationem: de qua petitione benedictionis etiam S. P. B. expresse alibi, &c. His & similibus modis poterit Religiosus venerati Senioris suos, & præsenti Instrumento satisfacere. Quæ omnia brevius insinuat Smaragdus Abbas dicens: *Veneratio Seniorum in verbis debet esse, & in factis; in vere*

vus, ut coram Seniore pauca & rationabilia verba humi-  
liter loquatur & cum aliquali reverentia. In saeculis au-  
tem: ut illo transiente junior surgat, illo iterum iubente  
sedeat, illo loquente audiens taceat, interroganti humiliter  
respondeat, transiente inclinatione capitis benedictionem  
petat, & in omnibus, ubi rationabiliter res postulat, ju-  
nior Monachus seniori obediatur.

His præmissis oportet, ut etiam senex & dives an-  
norum tali veneratione se dignum exhibeat, sive ut  
sit & annis & moribus senex; aut certe moribus.  
Plus enim venerationis utique meretur pueritia seni-  
lis, quam senectus puerilis. Studeat insuper senex ca-  
vere vitia, alias senibus communia. Habent enim  
hoc senes; teste Trithemio hic: - facile provocare  
cito credunt, tenaces sunt, cupidi, tristes, queruli, velo-  
tes ad loquendum, tardi ad audiendum; laudant an-  
tiquos, & spurnunt modernos; vituperant præsentia  
& commendant præterita. Haec & alia hujusmodi  
vitia devitent, ut magis se dignos reddant ea venera-  
tione, quam hic S. P. B. precipit.

Synopsis & praxis hujus 3. 1. Coram capite  
surgere, & honorare personam senis, ut loquitur Scrip-  
ptura.

2. Seniorem non increpare, sed obsecrare.

3. Deniq; omnem honorem tuum internum, tuum ex-  
ternum ei debitum exhibere, & quidem specialeme non  
communem, qualis debetur omnibus.

4. De Senioribus bene presumere, eosq; astinare,  
nullum vilipendere.

5. Non solum professione & armis seniores venerari,  
sed omnes etiam cujuscumq; nominis Superiores, qd; quo-  
vis statu, gradu, officio, dignitate, ordine, virtutibus, mœ-  
ritu, sanctitate proœctiores.

6. Coram Senioribus usq; ad interrogations non  
loqui, sed ipsi loquendi deferre & permittere honorum.

7. Venienti Seniori assurgere, nec assidere, nisi eodem  
anniversario.

8. Seniorem comitari, quo usq<sup>ue</sup> humanitas dicitat, & equitas permittit.

9. Nunquam non Seniorem honore prævenire, cap*ut* detegendo, salutando, ac etiam illi pro more & humanitate se inclinando.

10. Obsequium aliquod à Seniore desideratione libenter praestare.

11. Commodiora, meliora, nobiliora Seniori libenter cedere, esto potestatis tuae foret taliae ei præripere.

12. Semper offerre Seniori locum dignorem.

13. Benedictionem à Seniore petere, ubi ansa vel occasio occurrit.

14. Seniori cedere & obedire, ubi cunq<sup>ue</sup> fū erit.

## ¶. II.

### Juniores diligere in Christi amore.

**C**onjunxit S. P. Benedictus non immerito in unum duo hæc bonorum operum Instrumenta: *Seniores venerari*; *juniores diligere*. Sensus enim hujus contextus seu utriusq<sup>ue</sup> Instrumenti est: Religiosum quemlibet seu juvenem seu Senem ita debere esse comparatum, ut quilibet seniores se veneretur, & diligit juniores. Siquidem rarus est in Religione, qui aliquos seniores non habeat, & aliquos juniores, adeoque rarus, qui hoc boni operis Instrumentum exercere non possit, venerando Seniorem, & juniorem diligendo. Hoc ergo s. jubemur specialiter diligere juniores nostros. Nam hoc mandatum accepimus à D E O, ut, qui diligunt D E U M, diligit & fratrem suum. Deinde si juniores venerantur seniores suos, si observantes sunt ergo ipsos (uti priore parte Instrumenti dictum & præceptum est), quidni ergo Seniores diligent juniores, utpote obsequiosos, venerabundos sui, &c. Nam dicit Scriptura: *Servus sensatus fit tibi dilectus quasi anima tua; quasi frater m<sup>u</sup>s fit eum erga te*. Si servus obsequiosus, quanto ma-

pis Confrater obsequiosus, & ad servitia promptus filius erit diligendus, dum sese exhibent, ut decet; observantes, obsequentes. obsequiosos, ad reverentiam, ad obedientiam promptos. Et licet vi hujus Instrumenti omnes Seniores, suos respectivè juniores teneantur diligere, specialiter tamen hoc videtur pertinere ad Superiores, qui Seniorum nomine veniunt intelligendi, ut scilicet diligent subditos suos. Quia ut Tri-themius loquitur: *Senio debetur reverentia, adolescen-tiae disciplina*, scilicet in Christi amore & cum discre-tione.

Unde hic caveant Seniores, & Superiores, ne juniores diligendo non tam opus bonum quam malum præstent, eos diligendo amore vano, non fano; amore carnali, non spirituali. Sæpè enim homo spiritu incipit, & carne consummat. Quod in amore erga juniores facilè accidere potest, sequendo potius appetitum sensibilem, quam Spiritus Sancti instinctum. Cavendum ergò summopere, ne caro vel sensus & sensualitas fundamentum amoris sit; vel si spiritualis est amor, ne sensim degeneret in carnalem aut talem, qui Religiosæ puritati, modestiæ, & integritati adversetur, in quo errant Senes illi, quicunq; novellos & juniores Fratres (aut Domicellos) delicatulos, venu-stulos præ omnibus alijs amant, eorumque conversa-tione & societate lætantur, eò quod delicateuli, quodam-venustuli sint. Non hoc sensu, seu sensualiter vult S. P. Benedictus juniores diligi, sed spiritualiter in Christi amore.

Et quia proprius actus amoris spiritualis est con-gaudere bono dilecti, si adest, aut optare vel procura-re, si non adsit; igitur qui juniores vero sancto & spirituali amore prosequi cupit, spiritualem eorum pro-fectum procuret aut promoteat, oportet; & omnem amorem procula se removeat, qui sensualitati seu sen-suali motivo iocnititur, qui corporali tantum præsen-

tiā fōvetur , qui non nisi erebris vīsitationibūs , cōventiculis , affectatis discursibus , seu confabulationibūs alitūr ( ut attractus aut aspectus taceant inordinatos , & periculosos ) Dilectio ergo , quā Superiorē seu Sēniores diligere juniores debent , spiritualis eis debet , seu talis , ut diligatīs *in Christi amore* , NB.

Deinde dilectio quā Sēniores diligere juniores debent , non alia debet esse quām paterna , seu qualis eis folet Patis in filios : Et talem amorem etiam in effectu demonstrent . Juniores aut subditos ceu filios servando ; Doctrinā veritatis erudiendo ignaros ; exemplo sanctitatis diligendo devios , ubere consolationis toboc rando intimos , debiles , pusillanimes ; virgā correctionis corrīgendo inquietos ; stimulo exhortationis excitando pigros ad bottum , ad virtutem , ad protēstum . Dum enim juniores & subditū utiq; spirituali nutritione , educatione , instruētione & consilio , etiam saepe correctione & correctore cogent , hinc amor sine dubio eximius ad hoc requiritur in Senioribus & Superioribus , ut ista præstent illis . Si enim ( ut proximus subveniat promptius in necessitate proximo , præcipiter , ut eum tanquam seipsum diligat , quid ne etiam requiratur in Senioribus & Majoribus amore , ut pro indigentia junioribus subveniant , opēmō ferant in virtutum studio & profectu . Hoc totum insinuat ipse S.P. B. , dum dicit hic : *juniores diligere in Christi amore* : quibus ultimis verbis fatis ostendit , quale debeat esse amor ille , quo Sēniores possint , debeatque diligere juniores suos : nimirūm amore spirituali , fundato in Christo , in Spiritu Sancto ; quid enim est in Christi amore diligere , nisi diligere amore sancto , amore recasto , amore paterno .

Scio , quod communiora exemplaria , verba hæc in Christi amore referant ad subseqüens Instrumentum & non ad præsens : nimirūm in Christi amore propter meū orare : mihi tamen præplaceat exemplar Regula edita

editæ Augustæ 1627. ubi verba illa referuntur ad præ-sens Instrumentum, juniores diligere in Christi amore: pro inimicis orare, &c. Et certè consideranti rem facile patet verba illa huc potius spectare, quām ad subse-quens Instrumentum. Sed quidquid sit de hoc, quorsum verba illa pertineant, an ad inimicos diligere; an ad diligere juniorēs, utrobique recte applicari & sub-intelligi possunt.

Synopsis & praxis hujus §. 1. Juniores diligere in Christi amore, hoc est in Christo & propter Christum, non amore vano & sensuali, v.g. quia ussabiles, gratosi, venusti sunt.

2. In senioribus quām maxime spiritualem illorum profectum diligere, promovere, procurare, tanquam Pa-tres eorum; quales etiam respectu juniorum solent. no-minari.

3. Dilectionem spiritualem juniorum opere demon-strare, pabulo doctrinae celestis nutriendo, exemplo sancti-tatis prælucendo, ubere consolationis refocillando, lapsos corrigendo, & exhortationibus excitando. Vide an fe-ceris.

### Q. III.

Adducitur in exemplum S. P. Benedictus, & S. Romanus, tum Seniores venerandi, tum juniores diligendi.

**Q**uām fuerit Senuim & Majorum suorum reverens, juniorum autem & subditorum amans in Christi amore, & observans totius Instrumenti hujus S. P. Benedictus, constat liquidò ex plurimis capitibus tum Regulæ tum vitae. Et imp̄tissimis tota Regula eō præcipue fine conscripta est, ut per eam Paterno affectu S. Pater filios suos, seu discipulos suos, cœlestis do-trinæ pabulo nutriret, ac pietatis studio (quæ sunt nutrita) custodiret; sive ut nos in virtute & perfectio-

ne bene educaret, ignorantes viam Religiosæ conve-  
fationis probè doceret, nescientes instrueret, consilio  
succurreret, & occurreret dubitantibus, ac etiam cor-  
rectione paternâ & Regulari prodesset delinquentibus.  
Inspice, & percurre totam Regulam, nec aliud reperies  
nisi amoris, & paternæ providentiæ telleras, quo Be-  
nedictus ferebatur, & etiamnum fertur in suos disci-  
pulos. Si verò vitam S. Patris inspicias, quid nisi vi-  
vum reverentia & observantia erga Seniores, dile-  
ctionis erga juniores & subditos, reperies exemplar  
qui, cùm occultè patriam & parentes, imò oculos  
omnium hominum fugeret, & consilium suum om-  
nibus tegeret, tectumque optaret, in solitudinem for-  
lus abiens Sublacensem, Romano Monacho pro revo-  
rentiâ (quæ ei, ut Seniori à juvēne Benedicto debebar-  
tur ( consilium suum ei venerabundus aperuit; qui  
viciissim Romanus juniores adhuc Benedictum dili-  
gens, cùm desiderium ejus cognovisset, & secretum  
tenuit, & adjutorium impedit, & sanctæ conver-  
tionis habitum ei tradidit, eumque diu pane, quem  
sibi ad manducandum surripere poterat, sustentavit &  
enutritivit. Nonne hoc erat in Christi amore juniores  
diligere? Fuit autem Romanus à pueritia Monachus  
& disciplinis Monasterialibus apprimè eruditus sub  
Magisterio & Regula Adeodati Patris. Hinc à puer  
affuescebat jejunijs, sacris assidue interesse vigilijs, &  
tenerum corpusculum varijs mortificare modis, super  
nudum dormire pavimentum, &c. Mollia spernere,  
dura quæque eligere & ferre, ab ipso pueritiæ suæ tem-  
pore didicit. Unde adultior & vir factus in omni vir-  
tutum genere probatus & spectabilis habebatur (ut lo-  
quitur Author vita ejus ) adeo ut suo exemplo multos  
ad contemptum sœculi, ad desiderium sanctioris vita  
accenderet. Quodam itaque tempore, cum S. Bene-  
dictus eremum peteret, hunc de quo loquimur San-  
ctum, obyium habuit, nempe S. Romanum, qui etiam  
Bene-

Benedictum, quod tenderet, inquisivit; cuius cum desiderium cognovisset ducendae sanctioris & solitariæ vitæ, desiderium hoc, sanctumque consilium, & secretum tenuit & adjutorium impendit. Factus exinde B. Benedicti Nutritius & in rebus divinis cooperator & socius. Is ergo tum meritis & virtutibus, tum annis gravis, speculum erat bonorum operum (ut loquitur Author in actis SS. Ord: S. B.) cui vivere Christus fuit & mortali lucrum; in terris positus, mente semper in cœlestibus versabatur, dissolvi cupiens, & esse cum Christo: qui in carne ambulans, non tamen secundum carnem ambulabat; ea solummodo querens, quæ sursum sunt, non quæ super terram. Tota vita ejus eodem Authore teste fuit sancta, innocua, cœlebs, gratiosa, pudicitiae floribus ornata, fide integrâ, spe robusta, charitate diffusa, omni demum bonitate conspicua. Hunc ergo virum & Ven: Senem Benedictus junior mirum in modum venerabatur, & amabat tanquam suum in spiritualibus Consiliarium, Coadjutorem & Socium. Sed & Romanus mirum in modum amabat Beatum Benedictum, Senior juniores juxta præscriptum Instrumenti hujus, ita amabat & venerabatur. Nam Senem quendam moribus præferebat & ipse Benedictus puer; utpote ab ipso pueritiae suæ tempore cor gerens senile, & ætatem moribus transiens seu supergrediens. Hinc ejusdem tum amore tum veneratione captus B. Romanus, certis diebus Benedicto panem ferrebat, & repugnante licet antiquo hoste, modis congruentibus Benedicto ministrare non desit, ut loquitur S. Gregorius.

Habes item observantiae hujus Instrumenti exemplum in S. Mauro & eodem Romano. Postquam enim Omnipotens DEUS & Romanum vellet a labore quietescere, & Benedicti vitam ac sanctitatem Italiae & orbis patetfacere, atque in exemplum dare, hinc cœlesti relatione monitus Romanus, jubetur Gallias petere,

& ex Italia in Galliam se conferre, ut illic Præcursor esset S. Mauri paulò post in Galliam secuturi, sicut quodammodo Præcursor & adjutor fuit S. P. Benedicti in Italia, verbi divini semina seminando, & Sanctæ conversationis exempla præbendo. Igitur Romanus nutui divino obtemperans, transmisâ Italiam Gallias ingressus, pervenit in Pagum Autisiodorensem, ubi aliquanto tempore demoratus, Monasterium construxit, ibique plurimos à seculi vanitate conversos, monitis simul & exemplis ad Christum & Cœlum adduxit. Quo ex loco etiamnum gaudet titulo & honore Abbatis, cuius Festum celebratur ab Ecclesia 22. Maij, ibidemque Basilica habetur, ejus nomine & miraculorum (quæ per eum DEUS operatur) privilegio infignis, ubi denuo Verbi divini semina spargens, sancte vivere, alios non solum verbo, sed & exemplo docuit. Interea dum relictâ Italiam Gallias incoleret & eruditus B. Romanus, Legatos ad D. P. Benedictum misit Bertingranus (vel, ut alij legunt, Bertehramus Episcopus Cenomanniensis, petens, ut è Discipulis suis Viros quosdam in Monastica disciplina à se instructos, ad se in Galliam dirigeret, qui Monasticam vitam iuxta instituta Regulæ suæ in Galliam investiri, Monasterium in territorio Episcopatus sui ædificarent. Direxit ergo S. Benedictus S. Maurum, dilectum sibi ex obedientia & omni morum probitate discipulum. Maurus igitur itineri se promptus accingens, & in pagum Antisiodorensem deveniens, & S. Romanum ex venerabili & amore visitare gestiens, eum ejusq; Monasterium inquisivit tanto solertiori indagine, quanto majori desiderio tenebatur, colloquio B. Romani desiderabiliter frui, qui Beatissimo Patri Benedicto in initio Adjutor & Cooperator fuisset. An non hoc est seniores venerari. Cumq; pro voto invicem convenissent, dulcia perennis vitae serebant colloquia: Et inter alia S. Maurus B. Romano dixit & prophetavit: Crastins

stinà die Beatissimus Pater N. Benedictus deposito one-  
 re terreni corporis, ad cœlestem, omnisque perturba-  
 tionis expertem patriam transibit. Quod audiens S.  
 Romanus, illicò in lacrymas resolutus, flere inconsö-  
 labiliter cœpit. (En iterum in Romano seu venera-  
 tionem senioris, seu amorem junioris!) Ast brevi  
 omnis mœstitia in lætitiam verfa est, dum altero die  
 S. Benedictus recto Orientis tramite, per viam stratam  
 pallijs & innumeris coruscam lampadibus cœlum vi-  
 sus fuit ascendere à B. Mauro & binis socijs ejus. Post-  
 quam igitur triduo S. Maurus cum socijs suis in Mo-  
 nastryo S. Romani commorati fuissent, & B. Maurus à  
 B. Romano prosecuturus iter suum recedere cogitaret,  
 dixit cum gemitu ad B. Maurum Romanus. Si locum  
 hunc deserere possem, libentius tecum cuperem ire, &  
 tecum habitare amantissime Frater, quām hic vel ali-  
 bi finem vitæ meæ terminare. Sed quia & hos filios  
 meos deserere periculum est, & ultimus mihi jamjam-  
 que pariter imminet dies, idcirco perge felix, quō mit-  
 teris! Deus omnipotens semper sit tecum & cum so-  
 cijs tuis, qui tecum sunt. Interea Romanus DEI fa-  
 mulus post gloriosam, & plenam virtutibus vitam, con-  
 summato Monasticæ Professionis curriculo, felici &  
 jam dudum exoptato transitu migravit ad Dominum  
 & D. P. Benedictum, sepultus in sua Basilica à Fratri-  
 bus, & multis post mortem clarus miraculis, quæ vi-  
 dere poteris in Actis SS. Ord. S. B. To. & sœc. I. pag: 90.  
 Ubi in rem præsentem notatu dignum & observan-  
 dum est, quām observans fuerit Instrumenti hujus S.  
 Romanus circa S. Maurum & Fratres s̄uos; Seniores  
 venerando, juniores diligendo. In qnanta enim ve-  
 neratione habuerit S. Maurum & Socios ejus, non tam  
 ab annis quām à virtutibus & meritis senes, ex eo li-  
 quet, quod ægrè fuerit divulsus ab eis, quin cuperet  
 semper esse qm illis, & ire cum illis, relicto (si sic ex-  
 pediret) proprio Monasterio & Monachis. Quām ve-

rā sincerē in Christi amore juniores dilexerit, pariter  
constat ex eo, quod quamvis libenter cum Mauro &  
socijs ejus perexisset, intuitu tamen & amore suorum  
in Christo filiorum & Monachorum manere voluit, ne  
eos desolatione afficeret, & animæ eorum periculum  
paterentur. Nonne hoc est Seniores venerari, junio-  
res diligere? Et hoc fortè est, ob quod tot post mor-  
tem miraculis claruit, qui usque ad mortem seniores  
venerari, & juniores in Christi amore diligere non de-  
sīt. Autem specialiter de hoc Sancto dicere, quod de  
communi Confessorum canit Ecclesia:

*Hujus ad sacrum tumulum frequenter  
Membra languentum modo sanitati  
Quolibet morbo fuerint gravata  
Restituuntur.*

Sic cūm sacrum corpus ejus in translatione villam Ab-  
bonis transiret, mulier paralytica & omni membro-  
rum usu destituta, in integrum restituitur. Alia item  
mulier, dicta Ragenis, ab incurabili morbo curata est,  
& eadem postea viſum amissum, meritis & interce-  
fione S. Romani Abbatis recepit. A dæmone vexati  
liberantur ad ejus tumulum, Letherio cœco lumen  
restituitur: Alteri viro Nobili cœco & moribundo re-  
stituitur viſus cūm vita. Tedinus Monachus à fe-  
bribus eximitur. Puer surdus & claudus utroq; ma-  
lo & impedimento liberatur, meritis B. Romani. De  
quibus vide vitam loco cit.

Verū ut à Romano ad S. Benedictum redeam,  
post Seniorum venerationem considerare parumper li-  
bet, quantopere & quām sincerē juniores in Christi a-  
more dilexerit, amorem ipsum opere demonstrando.  
Et certè si parens filium quem amat, castigat, & quem  
castigat, amat, hinc sane clarè relucet paterna junio-  
rum dilectio in S. P. Benedicto, dum unicè curando  
& procurando bonum dilecti, mala, errores & dese-  
cūs dilectorum filiorum correxit & avertit, quantum  
potu-

potuit. Dilexit Fratrem illum, quem à diabolo abstractum viderat ad orationem stare non posse, dum commiseratione tactus, virgā dæmonem abegit, & Monachum liberavit. Dilexit & Gotthum illum Monachum, quem de ferro perditō viderat contristatum, dum S. Pater factum audiens, & ad lacum accedens, accipiensque de manu Gotthi manubrium, atque in lacum immittens, mox ferrum ē profundo revocavit & Gottho reddidit, dicens : ecce labora, & noli contristari. Si Patris filium diligentis est, periclitanti succurrere filio, nonne Placidum juvenem dilexit S. Pater, cui ex undis liberando & educendo submisit Maurum Monachum, eumque ut celerius & in tempore opportuno opem ferret, super aquas ambulare fecit. An non juniores dilexit, & inter hos puerulum illum Monachum parietis ruinā contritum, dum (contristati fratres ac vehementer afflitti non damno parietis sed contritione Confratribus) venerabili P. Benedicto hoc factum celeriter nunciārunt cum luctu gravi ; moxque idem S. Pater dilaceratum pueri corpus ad se deferri jussit, & orationi instantius quam solebat, incumbens, eadem horā hunc in columem, atq; ut prius valentem ad eundem iterū laborem misit. Si paternae pietatis & dilectionis est, absentium etiam filiorum curam gerere, & de eorum bono ac profectu sollicitum esse, nonne dilexit juniores seu Discipulos suos S. Pater, dum in spiritu vidit, quid Fratres absentes agerent in via, domum alienam contra licentiam intrando, extra Monasterium comedendo, mappulas dono accipiendo ; quibus tamen (cum culpam tremefacti agnoscerent & ultrò faterentur) pro sua pietate paterna pepercit increpatione salutari præmissā. Ut constat ex vita S. B. cap: 12. 13. & 18. Si denique Patris filium diligentis est, filijs suis de salute & incolumentate sua etiam in futurum prospicere : nonne dilexit juniores & filios suos S. Pater ; dum quadam die

ex Divina revelatione didicit Monasterium illud suum, quod construxit, cum omnibus que sustentationi Fratrum præparavit, omnipotentis DEI iudicio, gentibus tradendum esse in direptionem. Vir enim DEI mœstus & lacrymans, orationi lacrymisque tam diu institit, nec anté finivit, donec in columnatatem saltem Fratribus & vitam, ab Omnipotente obtinuerit. Nam (quod mirum est) nocturno tempore & quietibus Fratribus Longobardi Monasterium non dictum ingressi, diripientes omnia, ne unum quidem Monachum capere aut rapere, seu tenere potuerunt, impleente DEO, quod fidelij famulo suo Benedicto fratres suos amanti, & pro illis oranti, & paternè solicito promiserat, se animas illorū custoditum, dum res Monasterij gentibus cederent in prædatam. Ex vita cap: 17. Igitur quod verbo docuit, etiam exemplo monstravit, quomodo oporteat Seniores venerari, juniorēs diligere in Christi amore.

Synopsis & praxis hujus §. 1. Si Superior & senior es, inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est tum in Benedicto, tum in Romano, quā ad diligendos juniorēs, curando & procurando bonum & emolumētum eorum.

2. Si junior es, vitam S. P. B. inspice, Senioribus reverationem, reverentiam & obseruantiam exhibe, uti illi Romano.

3. Juniorem errantem, accius etiam, si opus sit, corrigē, uti S. Benedictus Monachum virgā sanatum.

4. Juniorem dolentem consolari & juvare, uti S. Benedictus Gotthum.

5. Periclitanti succurre, uti S. Benedictus Placido, idq; vel maxime in periculis anima; hoc enim est verē diligere. Nam demonstratio amoris est exhibitio operis.

6. Absentium etiam Fratrum curam gerere, & deorum bono ac profectu esse solicitum.

7. Fratres suos & juniorēs in oratione Deo committere.

dare, prout fecit S. P. B. Vide, an in his imitatus semper fueris S. P. Benedictum, & imitare posthac posse tuo,

## INSTRUMENTUM LXXI.

### Pro inimicis orare.

*Matt: 5.*

**A**dditur in quibusdam exemplaribus pro inimicis orare in Christi amore: nec immerito. Amor enim Christi urget utique amantem, ut & inimicum amet, & simul ex Christi amore preces pro eo fundat; Si enim serius amor amantem transformat in amatum, etiam Christi amor nos quodammodo in Christum transformabit, ut qui jam filii ejus sumus per adoptionem, efficiamur & filii per imitationem; ipse autem pro persecutoribus suis oravit, dicens: *Pater, ignoste illis, &c.* Ut simus igitur filii ejus imitatione, sicut jam illius filii sumus gratia & adoptione, hinc diligamus (oportet) ad ejus imitationem inimicos, & diligendo etiam oremus pro illis.

Christus testatur: *Qui diligit me, servonom meum servabit.* Ergo servemus sermonem Christi, si diligimus Christum. Sermo vero ejus est (*Matt: 5.*) *Dilegitte inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos;* *& orate pro persecutib; & calumniantib; vos.* Nisi ergo nostram etiam ad inimicos extendamus dilectionem, & pro illorum salute oremus, jam sermonem Christi minimè servamus, adeoque nos Christum non diligere convincimur; quem si amamus, utique in ejus amore etiam pro inimicorum salute orare non detrectabimus.

Sed dices: *Durus est iste sermo, & quis potest eum audire?* grave nimis est pro inimicis orare: cum graviter sit se ipsum ita vincere, ut etiam erga inimicum quis

quis benevolus sit, ei que bene velit, ac bene preceret.  
 Verum audi Augustinum Religiose, serm: de S. Stephano : *Grandis labor est inimicos diligere, pro persecutore supplicare, non negamus Fratres : non quidem parvus labor est in hoc seculo, sed grande erit præmitans futuro, per amorem enim homini inimici, efficeris annus DEI ; imo non solum amicus, sed etiam filius, erit ipse Dominus dixit Matth: 5. Orate pro persecutoribus vos, ut filii filij Patris vestri : Et hoc ipsum legitiam est, quare in Christi amore jubeamur hic pro inimicis orare, quia nimis grandis labor est, & onusque grave, inimicos amare, & pro eis orare : hinc ut hunc ipsum laborem alleviaret S. P. Benedictus, juberet nos pro inimicis orare in Christi amore.* *Quidquid enim durum est in præceptis (ait August: ) ut sit levior charitas facit, utique charitas & amor Christi. Si enim amor omnia vincit, & amanti nihil est difficile, certe etiam amor Christi vincet difficultatem, quæ se in errando pro inimico, in benevolendo illi insinuat ; ne erit jam Christum amanti difficile orare pro hoste ; amanti enim difficile nihil. Ergo si minus, si raro pro inimicis oras aut orare potes Religiose, minus Christum amas. Tantò namque Christum serventius diligere quisque probatur, quanto pro Adversariis devotius & frequentius orat. Verba sunt Trithemij.*

*Si quæras, num etiam obligatio in conscientia pro inimicis orare, an vero solius perfectionis Instrumentum sit istud, non necessitatis ? Respondetur. Orare in communione etiam pro inimicis de necessitate præcepti est, adeò ut à communione nequaquam licet inimicum excludere : e. g. Oras pro omnibus delibus, pro toto populo, pro tota communitate ; etiam inimicos in ea oratione implicitè saltem includas oportet ; si enim excludis, jam ad livorem vindictæ, odium hoc pertinet, quod semper illicitum est. Ceterum orare specialiter pro aliquo inimico & certabili neficio*

nescia ei impetrare non est de necessitate salutis aut præcepti, sed pertinet ad perfectionem charitatis, non ad obligationem illius; per quam perfectionem charitatis non solum cavit vincere malo (quod necessitatis est) sed etiam vult in bono vincere malum, quod est perfectionis; dum scilicet non solum cavit propter injuriam illatam inimicū odisse, ei male velle, & mala preceari, vel facere, sed insuper ipsos amare, & pro ipsis orare non dubitat, in quo sane magnam perfectionem sita esse nemo nescit. Horum autem ratio est, quod eo modo non alio teneamus pro inimicis orare, quo modo teneamus eos diligere, tenemur autem eos diligere dilectione communi, ergo & orare pro illis oratione communi, si quam facimus. Cæterum licet perfectionis sit (& quidem eximiae) diligere amore speciali & in particulari inimicum, & specialiter orare pro illo (uti fecit Christus) necessitatis tamen seu præcepti non est, siquidem ad stricti non sumus diligere inimicos, nisi ut proximos, ad quod tamen satis est, non excludere illos à communi amore; non enim tenemur speciali amore quemvis proximum amare, aut specialiter pro aliquo orare, sed sufficit ab oratione communi non excludere, quantum ad vim obligationis, necessitatis & præcepti, nisi in aliquo casu speciali, quando specialiter indigeret dilectione & oratione nostra aliquis, seu proximus seu inimicus. Tunc enim etiam præcepto obstringimur ad id faciendum respectu proximi & inimici. Licet igitur non teneamus in conscientia orare specialiter pro aliquo inimico, tenemur tamen animo parati ac prompti esse ad orandum pro eo ingruente necessitate, quam nostris precibus specialiter indigeret. Extra hanc non obligationis sed summae perfectionis opus est, in specie pro inimico orare: ex quo vides, quam bene quam apte hoc perfectionis Instrumentum Religiosis prescribat S. P. B., utpote perfectionis studie-  
s, & ad eam assidue aspirantibus.

**Quæries 2.** Quidnam pro inimicis orare, seu quidnam in orationibus pro inimico petere debeamus? Respondetur ex S. Gregorio 34. moral. cap. 16. DEUS det illis donum pœnitentiae, ut resipiscant, & laqueis eximantur diaboli ( si rei sunt ) secus verò, ut alijs donis & bonis spiritualibus cœlitus donentur, etiam temporalibus, quæ ad illa ordinantur aut conducunt: Omnia haec optare illis, & per orationem precari magnæ virtutis & perfectionis opus est: & hujusmodi oratio præ omnibus alijs efficax, Deoque grata est. Quo enim oratio & quodvis opus bonum, proximus ad charitatis perfectionem accedit, eò amplius meretur apud DEUM, & citius impetrat, quod intendit; cum igitur dilectione inimicorum non sit alia excellentior dilectio; (& oratio pro aliquo, dilectionis actus sit) hinc non sunt efficaciores & gratiore preces ijs, quæ pro inimicis funduntur. Sic oratio filii DEI pro crucifixoribus suis, multorum conversionem obtinuit, sic B. Stephanus pro suis lapidatoribus orangum Paulum Apostolum Ecclesiæ DEI aggregavit, adeò ut quicunque pro inimicis orant, certo sperare possint, & debeant, quod Omnipotens & Misericordissimus DEUS illorum cassus non sinet sine preces, quin effectum fortituræ sint, vel illis vel sibi salutarem.

**Quæres 3.** quare pro inimicis orandum? Respondeatur: Quia sic Christus fieri voluit, sic & ipse fecit: Ait enim Christus: Orate pro persequentiibus & calumniantibus vos. Et quod ore docuit, etiam opere monstravit, in Cruce & nunquam non orando pro hostiis suis. Secundò, quia inimicos diligendo, & pro ipsis orando, sumus quodammodo perfecti, sicut Pater noster cœlestis perfectus est, & sumus filii ejus, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Tertio, quia opus magnæ perfectionis est, inimicis statim cor dicus ignoscere, & adhuc pro ipsis intercedere. Quid enim perfectius, quam injuriam facientibus ultrò sponte &

tē & libenter indulgere, & adhuc pro culpa eorum  
aptū DEUM intercedere, veniamque & emendatōnis  
gratiā impetrare? Quartō, quia nulla Eleemosyna  
major est, quām si offenditibus vēniā ultō & gra-  
tis demus, additis insuper precib⁹ pro paupereulo of-  
fensore, qui ex imbecillitate naturae suae forsitan offen-  
dit. Verba sunt Trithemij in hunc locum: Nulla E-  
leemosyna major est, quām si ex corde dimittimus, quod  
in nos quisq; peccavit. Quintō, quia talis oratio sum-  
ma efficax, Deoque est acceptissima: Illam enim (ut  
Trithemius loquitur) orationem DEUS misericorditer  
accipit, quam ipsa misericordia pro inimicis fundit. Qui  
enim pro amico orat, quia bona ab eo accepit, id facit: que  
autem pro inimico orat, profecto liquet, quod ex vera chas-  
ritate oratio procedat. Illam autem DEUS orationem  
gratiosius exaudit, quæ ex perfecta charitatis radice pro-  
cedit. Pro seipso orare necessitat⁹ est, pro amico gratiosu-  
ritas, pro inimico virtuosa charitatis. Sextō, quia (te-  
ste Trithemio) quid plus intercesserimus pro inimicis,  
tant⁹ gratiosius Sancti DEI intercedent pro nobis, sive  
deinde amici Dei sive inimici (quod absit) simus.  
Septimō, quia Sanctorum exempla ad id nos provoca-  
tent S. Stephani & aliorum, de quibus paulo pōst.  
Octavō, quia denique æquissimum est pro persecuto-  
ribus & inimicis orare, nam ab ipsis majus beneficium  
accipimus, quām ab intimis fautoribus & amicis no-  
stris, ipsi enim inimici, duris persecutionum & injuriarum malleis aureas nobis coronas fabricant, dum  
nos persequuntur, maleque tractant: ad h̄c ut nun-  
quam nostram utilitatem tantum promoverent amo-  
re, quantum promovent odio & persecutione. Igidi-  
tut meritō inimici diligendi sunt, eisque omnia bona  
exoranda. Et quia

*Verba movere solent molles penetralia cordis,*

*Ait exempla trahunt abripiuntq; magis.*

Ideo exemplo sit supremis ipse summus inimicorum  
dile-

dilector S. P. Benedictus: quem dissoluti quidam Religiosi sibi præesse petentes, sed deinde sub ejus regimine conspicientes, sibi amplius illicita non licere, uti prius nolentesque vitia assueta relinquere, tractare de eius morte cœperunt; initioque consilio venenum vino miscuere, ut cum vino mortem Benedictus libertate Intelligens verò protinus Vir DEI Benedictus conspirationem nequissimorum Fratrum mortisque machinationem, illicò surgens, vultu placido, mente tranquilla, ut loquitur Greg: (in vita cap. 3.) convocato frates allocutus est dicens: *Misereatur vestri Fratrum Omnipotens DEUS, &c.* Disce à S. Benedicto Religiosi etiam pro inimicis orare quantocytus, & totum quod male factum est, ignoscere. Idem fecit S. P. Benedictus, dum Gotthum Tyrannum (Gallam nomine) barbare & inhumaniter se alloquentem, increpatione & admonitione benignā à crudelitate revocavit, deinde sua etiam benedictione donavit, donatum dimisit, uti legere est in vita ejus. Quid autem benedictio quam precatio quædam & oratio est ad DEUM pro eo, cui impenditur? S. verò Benedictum Patrem inimicorum dilectorem, secuti sunt innumeri filii & discipuli, pro inimicis orando; & inter alios magnus ille Hungariæ Apostolus & Proto-Martyr Gerardus, qui ceu alter Stephanus pro lapidantibus inimicis ferventer Dominum deprecabatur. S. Dunstanus pro Rege Edwino hoste, sedulò preces fudit in exilio, cunctumque mortuum Cœlo afferuit. Item dum S. Aldemarius Nostrum sceleratus quispiam sagittâ in Ecclesia configere tentaret, brachiumque quantocytus obrigesceret, Aldemarius immemor injuriæ & persecutionis, memor clementiæ & pietatis lenitatisque Religiosæ, orare continuò pro eo cœpit, orationeque sua eum incolumentati restituit. Ex vita 24. Mart. Huic accedit S. Petrus Episcopus Oxoniensis (ex Meno. Bened: 2. Aug:) qui pro suis etiara inimicis ad DEUM precor.

precator accessit, dum vir quidam divitijs & potentia  
suâ præfidens, in bona Ecclesiastica manus & falcem  
immittere nulli sibi Religioni duceret, monitus à Pe-  
tro, ut abstineret (nec verbis melior factus) fideliam  
communione interdicitur. Hic in rabiem versus,  
ut sceleri scelus adderet, insidias ponit S. Præfulti, sica-  
riūmque constituit, qui eum ē medio & vita tolleret.  
Is verò Sicarius, priusquam inferre Petro manus pos-  
set, à malo Genio arreptus, & pessimè cruciatus, ab  
ipso (cui vitam destinarat eripere) vitam libertatemq;  
recepit precibus ejus: Petrus enim orando DE U M  
pro eo, dæmonem proscriptus, & inimicum suum ob-  
sidione liberavit. Horum ergo exemplo animatus,  
disce non tantum Amicis bene velle, & pro ijs orare,  
sed etiam pro inimicis.

Habes insuper in S. Marculpho Abbe Ord: N.  
mirum miræ mansuetudinis & dilectionis inimico-  
rum exemplū. Is enim cùm certorum negotiorū cau-  
sa adire Regem Childebertum vellet, in pratum quod  
dam deveniens, venatores Regis, leporem canibus in-  
sequentes invenit. Et ecce lepus per apertam campo-  
rum planitatem fugitus, jamjamque capiendus,  
mortem imminentem crebris flexibus eludere seu  
differre laborabat. Cumque hinc inde (campis licet  
patentibus) nullam evadendi viam, effugium nullum  
perspiceret, ad hunc Virum Sanctum confugit, sub  
eius amictu se recipiens; hoc protectore jam se tutum  
putans. Ægrē id tulit Venatorum aliquis, quod le-  
pori asylum præbuerit, & à se non repulerit Vir San-  
ctus; ideoq; indignatione præoccupatus, duris & aspe-  
ris cum verbis excipit: Quā temeritate (inquit) Cle-  
tiee nequam venationem & recreationem Regis in-  
terfurbare præsumis, dimitte leporem, aut vitam amit-  
tes, hoc stricto gladio periturus. Neq; verò impunè  
Virum Sanctum tam irreverenter & contumeliosè  
adorsus est; nam mox ex equo corrueens, adeo ad ter-

fam allisus est , ut ventre discesso ac rupto intestinis effluerent , & eum intestinis etiam animam effudirentur . Vir S. misereri potius & parcere , quam ulcisci astitus , protinus pro eo preces fudisset . Nam signo crucis super eum facta & oratione completâ , ita incolumis factus est , ac si maii nihil perperitus fuisset , quia tamen jam pro exanimi habebatur . Ditnissò verò potest , canes q̄til ad eum capiendum circumstabantur . terræ tenebantur affixi , pedibusque rigidi , ac si vita mobilitas nulla amplius illis inesset . Adeo efficax erat Oratio pro inimicis in Christi amore ; ut non similes sed duplici Miraeulo fuerit à D E O decorata . Vide acta SS. Ord: S. B. in vita ejusdem Sancti , pag. 132. nunc 18. To. I. Id quod Marculpho contigit , ut innocenter contumeliosa verba pateretur , id s̄epius contingit . contingere potest Religiosis , ut à levis conditionis humeris , verbis asperis , duris , contumeliosis exceptantur . Tunc verò quid faciendum Religioso ? an a juriā repellere injuriā , verba refellere verbis debet minimē . Sed potius discat exemplo S. Marculphi pro inimicis orare .

Novit verò etiam pro inimicis orare , eosque oratione sua à dæmonio liberare S. Maurus , S. P. Benedictus imitator & Discipulus exactissimus . Is dum Monasterium & Oratorium in honorem S. Martini in Gallia construi fecisset , Clericus quidam ex Aula Regis Theoderici qui cœmentarijs artificiis præcerat , dealtus misgradibus retrorsum corruīt , corpore sic confractus ut per omnes corporis meatus tridatim sanguis preflueret . Omnes proinde jam de sepultura ejus cogitaverunt . S. Maurus verò eum ad ostium Oratorium Martini deportari fecit , & orationi se dedit : eāq; completa signum Crucis super collis Clerici membra percussi præcepit , ut sanus surgeret , & opus suum perficeret , quod cœperat , idquæ in nomine ejus , qui permotus hominem fecit in animam viventem corpus dñe

limo terræ formans, & spiraculum vitæ ei inspirans.  
 Et ecce Langisus ( id Clerico Nomen erat ) velut e somno  
 no consurgens, nescivit, & mirari cœpit, quando &  
 quomodo illuc devenisset : monitus verò à S. Mauro,  
 quod non suis pedibus sed aliorum manibus illuc de-  
 latus sit, jubebatur iterum ad opus suum pergere, &  
 operarijs invigilare, redditis D E O gratijs. Itaq; cum  
 Clericus qui finatus fuerat, ad opus suum fuisset rever-  
 sus, quidam ex operarijs Viro DEI B. Mauro detrahe-  
 re cooperunt dicentes, haec quæ fecit, non virtute DEI  
 sed ope diaboli facta fuisse; debere proinde esse Magus  
 seu Magicis artibus imbutum. Es müsse nicht viele  
 gutes an ihm seyn/ alias mansisset domi & in patria sua.  
 Quia vero nemo Propheta acceptus sit in patria sua,  
 ideo ut honoratio esset in alienis regionibus, adjisse  
 terras alienas, propriumque Monasterium cum Patria  
 reliquisse. Haec & similia cum detractores illi male-  
 voli inter se sermocinarentur, malignus spiritus tres ex  
 illis subito invasit, & uni illorum nomine Flodegiso  
 quantocyus animam extorlit. Quid ad haec D. Mauro?  
 Nemirum dum hoc, quod evenit, agnovit, ve-  
 hementer flere cœpit; & Oratorium S. Martini denuo  
 ingressus, Dominum attentius tam pro his qui adhuc  
 torquebantur, quam pro illo, qui mortuus fuerat, de-  
 precabatur. Et cum per tres continuas horas orationi  
 ineubuisse, ad eas qui vexabantur, & se invicem den-  
 tibus laeberabant, accessit, & signum Crucis super eos  
 faciens ab immundis spiritibus eos mundavit & libe-  
 ravit, alterum verò à dæmonie suffocatum oratione  
 sua vitæ restituit, tota nocte assiduis Dominum orans  
 gemitis ut animam defuncti in corpus reddere dig-  
 naretur, quod & impetravit. Vide acta SS. Ord: S. B.  
 T. I. num. 46. & 47 in vita S. Mauri. Nonne hoc est  
 in Christi amore pro inimicis orare? Tu ergo Religiose,  
 si inimicos habeas, si detractores patiaris, & passus sis,  
 ora pro inimicis exemplo inimicorum dilectoris S.

Mauri, & vince in bono malum. Verba mala inimicorum, verbis orationis compensa.

De S. Agnello Abate ( qui cum nomine etiam omen habuit, utpote Agni instar mitis & mansuetus refertur, quod eum fur impius pugno percutere presumperit, quam sacrilegam præsumptionem mox divina ultiō fuerat secuta, dum non solum manus eius quantocuyus exaruit, sed & insuper oculorum usum privatus est, ut vel cœcus videret facinus, & crimen suum. Quid hic Agnellus? an gratulatus est forsan & ultione inimicorum suorum? haudquaquam; sed postea orationem pro eo fundens, oratione pristinam ei sanitatem recuperavit, unde & plurima posthaec miracula vivus, & post mortem patravit. *Mabillon Th. & Sæc. I. pag. 353.* Omitto sexcentos alios Sanctos pro inimicis orare assuetos, & te exemplo præeunte ut sequaris vestigia eorum. Præsertim verò sequitur Sanctorialem illam, quæ quotiescumque seu verbo seu facto, aut contemptu læsa, vel confusa à Sororibus suis fuerat, illa mox Oratorium accedens, & provulsa in genua, orare pro illis cooperat, quæ eam offenderant idque toties, quoties. Hanc si imitatus ( Religiose) fueris, Instrumentum istud probè observâsti. Ergo cum S. Stephano, quotiescumque offenderis, Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. Inimicos amare propter Christum.

2. In Christi amore pro illis orare, sicut & Christus pro illis oravit.

3. Quantumvis difficultè sit & laboriosum inimicos bene velle, bene precari, &c. hanc tamen difficultatem Christi vincere amore.

4. A communi oratione neminem in particulari quantumvis inimicum excludere.

5. Speciali etiam oratiunculâ DEO inimicum commendare, & pro illo orare, vel statim quando laetitia ei

to, vel quamprimum Cellam ingressus ad altariolum tuum  
perveneris, vel deniq; vesperi in vespertino examine & pre-  
cibus; ubi aliunde debes ignorare offensus per diem illa-  
tis, poteris ergo pro omnibus (qui malè fecerunt tibi die  
illa) orare aliquid.

6. Nulli imprecari mala, sed potius bona tum spiri-  
tualia, tum temporalia, quia talis oratio DEO longè gra-  
tissima est, idq; exemplo S. P. B., S. Gerardi, S. Dunstani,  
S. Aldemarij, S. Petri Episcopi, S. Mauri. Quod qua-  
liter hactenus feceris, & deinceps facere velis, vide.

## INSTRUMENTUM LXXII.

### Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire.

Eph: 4.

**C**oncordia & pax vel ipsius naturæ instinctu desu-  
derabilis est. Hinc ortum habet illud tritum :

Nulla salus bello, pacem depositimus omnes.  
Et Augustinus ait : Nemo est, qui pacem habere nolit,  
quandoquidem & ipse, qui bella volunt, nil aliud quam  
vincere, & pacem habere, concordiamq; extorquere vo-  
lunt : finis belli pax est, nec alio fine geruntur bella,  
quam ut vincendo subjiciantur repugnantes ac discor-  
dantes. Quod cum factum fuerit, pax erit : usque  
ad eam pax bonum ingens est, ut illius naturale ardeat  
desiderium in omnibus. Ubi pax & concordia est,  
summa felicitas est ; ubi discordia & pacis exilium,  
ibi miseria & exilium felicitatis. Ubi pax est ( ait  
Chrysostomus ) ibi omnia prosperabuntur ; econtra in-  
felix est, qui pacis expers est, dicente Psalmista : Con-  
trito & infelicitas in vijs eorum, quoniam viam pacis  
non cognoverunt. Ac proinde iterum Augustinus ait :  
Tantum est pacis bonum, ut in rebus terrenis atq; morta-  
libus

*ibus nihil gratius, nihil desiderabilius concupisci, nisi possit melius inveniri.* Pax & concordia est nota filiorum DEI, immo filios DEI constituit, nam Matt: 5. dicitur: *Beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur;* autem filii DEI sunt, qui pacifici sunt, procul dubio filii Sathanæ sunt, qui pacifici (seu in pace) non sunt.

Pacis denique amantissimus ipse DEUS est; pax ibi DEUS: qui nec venire in mundum volo de Virgine natus & factus homo, nisi dum universus Orbis pacem haberet; quam habita mox Rex ipse pacificus & Salvator venit in mundum. Hinc Cor: 19. dicitur: *Pacem habete, & Deus dilectionis ac pacis vobiscum.* Nec admittit ad se & ad suam visionem Deus, nisi pacificos, teste Apostolo Hæb: 12. *Pacem quimini cum omnibus,* sine qua NB. nemo videbit dominum. Hæc atque alia pacis commoda & encomia ostendens gloriosus Pater Benedictus voluit, ut Discipuli sui essent juxta monitum Apostoli: *Soliciti servare unitatem in vinculo pacis.* Eph: 4.

Et quia pax sancta, & fraterna concordia (sine qua impossibile est placere DEO) adeo delicata res est, deo tenera, ut vel exigua commotione interdum corrut aut concidat; immo interdum funditus etiam extirpetur, cum humanum sit labi, & ex infirmitate quandoque homo pacem & sinceram charitatem vislet, voluit S. P. Benedictus monitos Discipulos suos ut si humana ex fragilitate laedi pacem contingat, ex quantocybus & sine tergiversatione resarcire & redditus integrare studeamus, redeundo in pacem cum discordantibus, priusquam dies abeat; quod jam ante eum Apostolus monuit Eph: 4. *Sol non occidat super iras undiam vestram.* Restabilienda pax est, si concidatur antequam occidat lux solis visibilis, ne si diutius in discordia vivamus, nos etiam deserat lux invisibilis gratiae DEI, & Lucifer pro Angelo lucis ortatur in cibis nostris; quod avertant Superi! Non occidatur

go (o Religiosi) sol super iracundiam vestram, non duret ira & discordia (qualis qualis) usque ad solis occasum, ne (ut Apostolus loquitur) detur occasio maligno.

Pleraque sanè Instrumenta bonorum operum à S. P. Benedicto prescripta ad unum unicum pacis bonum conservandum collimant: *huc enim spectat utique diligere proximum tanquam se ipsum, deinde non occidere, non furtum facere, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, quod sibi quis fieri non vulnus, alteri non facere; iram non perficere, iracundiae tempus non reservare, dolum in corde non tenere, pacem falsam non dare, charitatem non derelinquere, malum pro malo non reddere, injuriam non facere, sed factam patienter sufferre; inimicos diligere, maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere; persecutiones sustinere, non esse superbū, non murmuriosum, non detractionem, os suum à malo & pravo eloquio custodire, risum multum & excussum præsertim in alicujus contemptum non amare, nullum odire, zelum & invidiam non habere, contentionem non amare, elationem fugere, &c.* Quorsum hæc omnia? nisi ad servandam pacem, unitatem, & concordiam. Quorsum spectant & illa immediate antecedentia Instrumenta? Seniores venerari, & diligere juniores, nisi ut pax & concordia servetur inter omnes? quorsum pertinet pro inimicis orare, nisi ad procurandum eis bonum pacis? Porro post hæc omnia & tot præcis servandæ Instrumenta, subjunxit hoc septuagesimum secundum de restabilienda pace Instrumentum pacis amator S. Benedictus; ut vel exinde Discipuli ejusdem norint, quantum cordi fuerit S. Patri, dilectionem & pacem habere ad invicem, aut si non habeatur, eam procurare, idque ante solis occasum.

*Et hoc est, ob quod etiam S. Pater voluerit, ut in Vesperis (hoc est) ante occasum solis Dominica oratio*

tio clarâ voce cantaretur in Choro propter bonum p[ro]eis, quâ scilicet moneremur dimittere debitoribus nostris, si & ipsi velimus dimitti nobis debita illius die. Certè qui fratrem tardius sibi reconciliat, DEUM tardius placat, qui non est DEUS dissensionis sed pacis. I. Cor: 14. Et (ut S. Gregorius ait) admonendi sunt dissidentes, ut noverint, quod tam diu nullum gratum boni operis sacrificium DEO immolant, quamdiu à proximorum charitate discordant, scriptum quippe est Mat: 5: Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fuisti, quia frater tuus habebat aliquid adversum te, relinqui munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Usque r[ec]edid[is] discordia malum malignantis naturae est, ut quamdiu illa est, bonum & gratum DEO Sacrificium exhiberi non permittat! Alia mala bonis subsequentibus diluuntur, non sic discordia. Ergo qui transactum pie cupit claudere diem, & in Completorio Sacrificium laudis DEO acceptabile offerre; qui sequentis operis diei, & totius noctis vult DEO esse acceptabilia, & fieri proficia, discordiam extirpet (necessè est) ante solleccasum; alias in somnum, in ventum abibunt omnes; quia ut iterum Gregorius: Certissimè sciunt Religiosi Christiani omnes: Quia quantumlibet virtutibus polvant, spirituales fieri nullatenus possunt, si uniri per concordiam proximus & præsertim Confratribus negliguntur. Scriptum quippe est, fructus autem Spiritus est charitas & pax. Qui ergo servare pacem non curat, ferre ac ferre fructum Spiritus recusat.

Nolite locum dare diabolo, inquit Apostolus Eph. 4. Et certè quis vellet diabolo locum dare, quem oportet undique & undique proscriptum esse? sed ubi quæ locum facilius invenit, imò possidet, quam in Religiosa Communitate non ritè coadunata sed discordijs discissâ? Castrorum acies ordinata talis sit oportet, ut membra & cohortes firmiter ad invicem cohærent; quam

quam diu milities ceu bene condensati, & compacti lapides cohærent, ne irrumpere & divisionem facere hostis possit, tam diu insuperabiles & hosti formidabiles sunt; si autem contigerit alicubi eos dissolciari, ab invicem disjungi, ut penetrare in aciem aut phalangem hostis vel modicè possit, acta res est! victi sunt, perjerunt si semel unio & ordo eorum dissolvatur, nisi quantocyuſ recolligentes ſeſe, rursus coire, & ſe adunare ſtudeant. Ita & Religiosi ( milites Christi ) quam diu fuerint charitate conjuncti, & uniti in vinculo pacis, ac concordiae glutine compacti, ut diabolus locum non habeat inter illos, fortes sunt, viatores ſunt & triumphatores dæmonis! ubi verò huic locum permittunt intra ſeſe, ubi unio diſſolvitur concordiae, mox diabolus ſe ingerit, & ad confuſionem usque discordes pertrahit, compedes eis injicit, in captivitatē trahit, niſi faltem ſe citò recolligant, & in ordinem pristinum, unionēmque ſeſe recipiant, cum discordantibus quantocyuſ in pacem redeundo.

Non ſufficit milites eſſe ſpacio quodam locali quomodcunque conjunctos, niſi ſint immediate mediatione ſuppoſiti ( hoc eſt ipſo corpore ) proxime conjuncti: ſic et ſpiritualis militia requirit, ut Religiosi ſint non loco ſolum, ſed animo intime conjuncti. Si quidem loco conjunctum eſſe & non animo, parūm imò nihil eſt. Animo unum eſſe & non loco, aliquid imò multūm eſt: Aſt animo ſimul & loco unum eſſe, hoc perfectum, hoc laudabile, hoc commendabile eſt. Quod ut fiat, meminerint Religiosi vitare ſcissuras, & discordias; aut fi quæ irrepferunt, eas protinus excluſe ſtudeant, & adhuc ante ſolis occasum cum discordantibus in pacem redire, & unum fieri per vinculum charitatis.

Quantopere pacis & concordiae amans S. P. Benedictus fuerit, quantumque intereſſe putaverit cum discordantibus quantocyuſ, & antequam dies abeat, redire in pacem, liquet ex vita ipſius cap. 8, ubi refer-

tur, quo modo discors à S. P. B. fuerit Florentius; Alius Benedictus pacis amans iniquam p[ro]secutionem, invicem odium, & mortis machinationem tulit patienter, silenter, libenter. Cumque die quodam venientem in pane submitteret D. Benedicto, Benedictus dum dolosi resciens (ast dissimulans) *cum gratiarum actione* panem suscepit, hoc est gratias ei referri sufficiat loquitur & testatur Gregorius loc. cit. ut vel facta mansuetudine discordantis Præsbyteri animum moliret in tempore, atque ad pacem & concordiam revocaret. Sciens quod filere & patientiam habere concordiam alias vel conservet vel restituat, juxta illud Prov. 15. *responsio molles frangit iram, sermo dieru[m] figit magis furorem.* Et quia obstinatio erat Sacerdotis nequitia, & nequitiosus animus, quam ut brevi tempore ad pacem, concordiam, & amicitiam reduciperet, cessit indurato Pater mitissimus, & loco excellit, judicans ex mente Ambrosij, esse melius sine lite abire quam cum iurgio residere. Et certe sepe abeunte iugius ex oculis, qui alteri invisus est, etiam discordia abit ex animo discordantis: Abraham Lothro fratri sibi dixerat Gen. 13. *Ne sit iugulum inter me & te, reculam me, obsecro; si ad sinistram ieris, ego de dextram tenebo, si dextram tenebis, ego ad sinistram pergo.* Ut ergo ad pacem revocare Benedictus Florentium posset, abit ex oculis, ut absens ad optatam pacem reduceret, quem praesens non poterat. Ergo Florentio cessit, & habitationem mutavit loci S. Benedictus, ut loquitur Gregorius. Nonne hoc est ardenter aspirare ad pacem incundam? Ergo ô filij (Religiosi Benedictini) imitatores estote Patris vestri, cum discordantibus omni modo, omnisonatu, omni molimine, omni celeritate redire in pacem satagite; & ut redeatis, nullum non lapidem morvete, discordanti cedite, a loco discordiae recedite, fratre, patientiam habete, molliter respondete, veniam rogate, etiam si læsi ipsimet fueritis, rogatam impetrat.

discordantibus, immò ultrò offerte, idque non ferò, sed  
tito: ut gloriari cum Agathone Abbe possitis & dice-  
re, quod is dicere solebat: *Nunquam cum ira dormivi,*  
*nec litem habentem mecum dormire permisi, quantum na-*  
*me pertinuit, nisi prius reverterer in pacem cum eo.* Ex  
vitis PP. Periculosem enim est se in eo statu reponere  
ad lectum, in quo quis mori non vellet. Quis autem  
vellet in & cuin discordia mori? Quia ut habetur 90.  
dist. placuit. Si quis ad Concordiam redire contem-  
pscerit, à cœtu fidelium se noverit alienum.

Deinde celeriter est sedenda orta discordia, & pax  
reparanda, priusquam dies abeat, quia etiam ex levi  
discordia, si non citò terminetur, oriuntur mala ma-  
xima; non secus ac de parvo igne (si non citò extin-  
guatur) gravia oriuntur incendia: *Quorum malorum*  
*primum est grave odium, seu ira inveterata.* Hinc  
Aug: in Regula sua: *Lites aut nullas habeatis, aut quara-*  
*celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, & trabs fiat de-*  
*festuca.* Quantam verò malum sit odium, & quanta  
mala ex eo solo pullulent, dictum est supra Instrumento  
66. Malis illis enumeratis adde afflictionem animi, &  
angustiam proprij cordis, imminutionem sanctitatis,  
interruptionem tranquillitatis, interceptionem quie-  
tis & somni, & abbreviationem vitæ. Dicente Iterum  
Augustino: *Sicut acetum corrumpit vas, si diu ibi fuerit,*  
*sic ira corrumpit cor si in alium diem duraverit.* Adde  
& scandala gravia. Quis enim est, quem discordia  
diutius protracta non scandalizet graviter, præsertim  
in Religioso? veniam certè meretur, qui subitaneo  
motu iræ corripitur, nec id adeò scandalosum est;  
Nam iram sape prævertere voluntatem, nemo nescit,  
ideoque excusat, & excusandus est ut plurimum.  
qui breviter vel leviter iratus est. Ast dum homo ho-  
mini, & maxime Religiosus Religioso reservat iram,  
& pernoctat in ira; quis tunc excusationi locus est, &  
non potius scandalo? Præterea prolongata discordia,

irrita similiter in longum tempus reddit sacrificia nostra, id est omnia opera nostra: Malente D E O , ut vas das p̄tius reconciliari fratri tuo, quām ut munus tuum offeras ad altare. Qui diu discors manet ab homine discordem diu se reddit à DEO : Quia Augustino teste Non poterit habere concordiam cum Christo , qui discors voluerit esse cum Christiano : Hinc qui tardius sibi ad versarium reconciliat, DEUM sibi conciliare tardat.

Præter mala culpæ hactenus enumerata, induc etiam discordia malum poenæ, malum perditionis æternæ. Sensit hoc malum poenæ filius ille perditionis Sapricius Sacerdos, ille Martyrij jam candidatus, de quo supra Instrumento 65. & 67. qui quōd cum discordante imò & veniam rogante Nicephoro in pacem redire diu noluerit, Martyrij forte & cœlo privatus est. Hic bernaus in Nicephoro exemplum petendæ citò & instar ter veniæ ab eo, quem offendimus, ut salvemur; habemus & speculum veniæ non negandæ, sed prompte concedendæ in Saprio, ne pereamus. Citò labimur, citò impingimus. Quid ni & citò ignoscamus? Veniam, citò demus rogatam, aut rogemus dandam. Si prior offendisti alterum, prior veniam postula, & in pacem redire prior adiabora. Sic nimis magnum ex damno lucrum colliges; fietque tibi offendio (quæ fuit materia vitij & discordiæ) materia virtutis imè & laudis: Quōd (quem infirmitas dejecit) vistoria fui rursus crexerit. Si verò prior non offendisti, & discordiæ ansam non præbuiisti, majoris ansam habes virtutis & laudis, veniam etiam à nocente petenda. Certè hæc & non aliâ virtute Martyrij laureâ promeruit Nicephorus ille, dum non tardè sed citò, non semel aut perfundtoriè, nec in angulo quodam domūs, sed in foro, in platea, in publico, in facie totius urbis Apiochenæ, in conspectu universi populi confluentis, provolutus in genua, iunctis manibus, supplici gestu, humili voce veniam rogavit. Et licet non impetrâr̄it à Sa-

¶ Saprio veniam, impetravit tamen à DEO Martyrij coronam. Quid verò Saprius? nimis fuit sole permisit saepius super iracundiam suam occidere, sic nec sol intelligentiae ortus est ei, ut benè ageret in proxima Martyrij occasione.

Faciant (oro) te Religiose, aliena pericula cautum; damno disce alieno sapere, & Sapricij pseudo-Sacerdotis sortem respiciens dic: *Hæc me vestigia terrent.* Audi Siracidem cap: 28. monentem: *Memento novissimorum, & desine inimicari:* Quid est inimicari delinere, nisi cum discordantibus citè in pacem redire? Proh: quām turpe, quām crudele, quām alienum à Religioso nomine est Confratrem fieri Confratri luppen! Mirum & dirum est: *homo homini lupus;* sed durius est audire: Frater Fratri est lupus; quem, si posset, devoraret; cùm non possit, saltem animo parcere non potest. Si sic est, si non remittis debitum, nec tibi remittetur. Nosti, quid Servator orbis dicat: *Quid mensurâ mensi fueritis, &c. Dimittite & dimittetur vobis.* Offers quotidie Missæ Sacrificium, aut certè septies vel saepius in die Sacrificium laudis, sed audi, quid DEUS dicat, quid à te requirat, Matt: 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Ne tua in sumum abeant tot quotidiana & repetita Sacrificia, vade ergo reconciliari fratri tuo. Nicephori secularis exemplum sequere Religiose, nisi velis cum Sapriō despere & perire. Age, quod monet Chrysostomus: *Accede ad proximum tuum, ad Confratrem tuum, à quo eum lèdendo recessisti.* Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare: *Si verbis & verbis: si factis & factis.* Si praesens est, humilia te; si absens, bonam voluntatem, ac propositum satisfaciendi habe. Hæc ille. Si dicas, ego nihil illi feci, si offensus est mihi, quid ad me? quid ego curo, sit offensus, ego non possum contrà, ego non sum in causa: Ich hab nichts wider ihm. Vel: si mihi offensus est, sit offensus, quid mea refert, si sine causa & gratis offensam con-

concepit, sine causa & gratis eam iterum deponet, &c  
 Sed audi rogo: offendì æquè ac offendere humanum  
 est, & humanæ fragilitatis: veniam rogare ab eo,  
 quem sciens offendisti, quasi Angelicum: ast rogat  
 veniam etiam ab eo, cui *rationabilis saltus offendæ* au-  
 fum non dedisti, aut certè non nisi præter intentio-  
 nem, plus quām Angelicum est: veniam vero rogare,  
 quem prorsus non offendisti, nisi inscius, propè Divi-  
 num dixerim. Sed quid si ille reconciliari noluerit,  
 si sit duræ cervicis, & implacabilis iræ? Age, quod tu-  
 um est, de cætero ipse viderit. Si veniam omni mo-  
 do quæsiisti, & in pacem redire voluisti, nolente ini-  
 mico tuo? fecisti, quod charitas svadet & urget; ad  
 amplius non teneris.

Alia duo Divinæ vindictæ exempla adversùs eos,  
 qui nolebant solis ante occasum cum discordantibus  
 redire in pacem, recenset Pexenfelder hist: 122. & pri-  
 mum quidem de muliere quadam, quæ (cūm in mon-  
 te Calvariæ, veneratura Christi vestigia, in cōferta  
 (ut fieri solet) turba terræ allideretur ab adolescenti  
 quodam, idque casu, non animo obstinato) ira mirum  
 in modum exarsit. Rogante Adolescenti veniam, &  
 excufante factum tanquam improvsum & minime  
 voluntarium, magis induratum erat cor fœminæ:  
 magis ira excitabatur, quod magis ille rogabat. Negat-  
 que mulier furiosa expressis verbis, quidquam audire  
 se velle de culpæ deprecatione, sed jubet potius juve-  
 nem longè faceisse, & in malam crucem abire, conte-  
 stans, quod nunquam cum eo sit in pacem redditus,  
 aut ullam reconciliationem admissura. Sed ecce mox  
 à tergo adfuit vindictæ DEI manus! mulier quippe po-  
 testati dæmonis tradita, & extemplo ab eodem arre-  
 ta, atq; in altum sublata est, & inspectante omni mul-  
 titudine, postquam terque quaterque eam per ætra-  
 dæmon agitavit & in gyrum egit, mox obtorto collo  
 corpus terræ allisit, & infelicem animam ad inferos se-  
 cum

cum avexit. Cui Tragico casui præfens adfuit S. Bernardinus, Anno Christi 1419.

Hic oro te Religiose : adhibe aures tuas, & audi, aperi oculos tuos, & vide, si tam rigidè, tam præcipitanter punivit DEUS hoc vitium & tergiversationem in muliere, cum hic sexus sit natura fragilior, ad iram facile irritabilis, sed difficulter placabilis ad veniam, in persona mundana seu seculari in domandis & refractionibus passionibus parùm instructa, in fœmina non redeunte quantocyùs ( ne dicam ante solis occasum ) ad concordiam? quanta te poena manebit, qui Vires, Religiosus es, ad passiones magis reprimendas ac scandas ex statu obligatus? &c. si veniam non tantum citò non impertiaris, sed etiam solem imò soles plurimos desuper occumbere permittas?

Si, quod momento non statim in pacem redierit mulier, tam severè punita est, quid de Religioso fieri, qui nec soie occidente in pacem reddit? qui se post solis ( sed non iræ ) occasum lecto ingerit? Quomodo non timeat, ne Sathanas aut certè mors eum in ledo opprimat, qui ( quasi in DEI manu vita non esset) tam temerarie obdormit, ac in discordia, in animo vindicandi in idipsum dormit & requiescit. Aliter aliter indormiendum est Religiosi, nempe pro more Davidis dicentis: *In pace (& non aliter) in idipsum dormiam & requiescam.* Metuant sibi profecto exemplo humi fœminæ territi viri Religiosi ad ignoscendum duces, nec nisi sero & forte nec tunc sero in pacem cum discordante redeuntes: metuant ne dæmonem sibi, ne ignem infernalem, aut certè gravissimas purgatorij poenas accerfant. Heu quam male, quam pernime agunt Religiosi, qui dum ē Confessionali, ab Ecclesia, ē Choro pedem referunt, levissimas offensiones diu ruminant, diu concoquunt, nec in pacem seriam cum adversario redeunt, sed ob antiquam offensionculam nova iurgia facile renovant, ut frivolas quotidianas

diè causas querunt, ob quas stomachum ab antiquo gravatum in adversarium exonerent, nec post plures soles, & plurimos solis occasus, in perfectam pacem & concordiam redeunt.

Dolendum nonne est, si tales etiam repérire eis Religiosos viros, qui alias pietatis studijs apprimè ad dicti, ipso habitu & tonsurā, ac operibus reliquis, quādam pietatis speciem præseferunt, chorūm diligenter frequentantes, Missas quotidiē celebrantes. Ad aram, ad verum illud propitiatorium Ecclesiasticum accedunt, quotidiē debita sua sic dimitti orant, sicut ipsi debitoribus suis dimitunt, nec tamen serio propitiantur aut dimitunt inimicis suis, sed odiorum fomentis per dies & noctes alunt in pectore; nec cum discordantibus in pacem redeunt, nisi fictam, latente & gliscente intus sub cineribus igne pristino discordiæ, qui quolibet flabello facile suscitatur, & indies noviter gravatur? Tales non DEUM, non proximum, sed se ipsum decipiunt, prout & mulier illa peregrinatione longa suscepit, multis in via molestijs defuncta, credens quidem se Christi vestigijs insistentem, ē monte Calvus facilem viam jam habituram ad Cœlum, sed tunc piter seipsum decepit. Nam ex eo loco ad inferos descendit, in pacem cum adversario redire recusans, et quo loco in Paradisum ascendit latro, veniam tortoribus ultrò impertiens. Quid si idem (quod absit) Religioso eveniret? ut à Statu Religioso (in quo eit) & qui terrestre quoddam cœlum est, in cœlum tamen non abeat, sed in puncto ad infernum descendat, et quod noluerit in puncto aut certe ante solis occasum eum adversario suo condescendere, & pacem inire! *Felix quem faciunt aliena pericula cautum!*

Alterum exemplum non minus terribile, refert idem Author ex speculo exemplorum, Distin: 9. Exempl: 96. de fœmina alia laudatae cæteroquin vite, & pietatis operum perquam studiosâ, quæ jejunijs cor-

pus macerabat, preces frequentabat, vigilias armabat, parcissime somno indulgebat, multum indulgens pre-cibus nocte diuque. Verum has aliasque virtutes corrumpebant iracundia & animi obstinatio: quippe tam impotens sui erat, ut, si quam ab aliquo offendam acciperet, nunquam cum eo in pacem redire soleret, sed implacabilem exhiberet se, & in odium obstinatam. Tandem cum gravi morbo correpta Eucharistia de manu Sacerdotis accipere deberet, os occlusit; & corpore ad parietem converso dixit: *Sicut avertebam me saepius ab ijs, qui gratiam offendae rogarunt, ita se nunc DEUS avertit a me.* Actum est, projecta sum a facie Dei, aeternum non videbo illum, dæmonum in tormentis & supplicijs nunquam desituris ero socius. Dixit, & miseram animam misera exhalavit? Discite vel hinc Religiosæ mentes cum discordantibus properè & ante solis occasum in pacem seriam & sinceram redire; procul sit a vobis (procul!) illud pseudo-Politicorum principium: *Ab amico reconciliatio libera nos Domine; quin potius a tali diabolico proposito & politicismo libera nos Domine.*

Præterea nota & observa, quid sit in pacem redire? Si post offenditionem in pacem redis, sed tamen minus aut remissius jam, discordantemamas ac antè, & minus ei benevolus es, non redijisti in pacem cum eo. In pacem redire sonat & insinuat pacem pristinam, non novam, imminutam, remissam; Hæc enim nova est, adeoque in pristinam pacem non redditur, quando nova accersitur, nec hæc S. P. Benedicto sufficit. Pristinam resuscitari vult & iniri pacem. Id si facis, Instrumentum hoc boni operis ad amissim adimples; si minus? miseret me tuī, & tamen tui te nec miseret, nec pudet? quid enim juvat jejunare bis in Sabbatho, septies in die laudem dicere DEO, somnum interrumpere nocturnis vigilijs, mortificare corpus varijs adinvocationibus, si veniam neges orantibus, aut te non

non accotnmodes discordantibus, cum illis in veram  
& sinceram pristinam pacem redeundo? Ah non est  
haec ad Cœlum via, non hanc præivit Christus; non  
S. P. Benedictus, non alij amici Christi, vel S. P. Ben-  
dicti Discipuli. Cum discordantibus in pacem rede-  
undum est, & quidem in pristinam, si in patriam ce-  
lestem redire cupis: Sic itur ad Astram.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. Redi-  
in pacem cum discordantibus, antequam dies abeat, non  
permittere, ut Sol occidat super iracundiam conceptum.

2. In pacem redire priusquam ultro bonum opus er-  
erceas, alijs gratum non erit DEO, sed in fumum abi-  
tum opus.

3. Non solum loco ( id est Monasterio dormitorie, m-  
sæo, choro ) conjungi fratri, sed multò magis animo: si-  
ficit quippe animo esse coniunctum, sed non loco, ast non  
sufficit loco coniunctum esse, sed non animo.

4. Ad redintegrandam pacem nullum non lapides  
modere, discordanti cederet, molliter respondere, injurias  
dissimilare, silere, è loco discordia, si opus est, recedere, et  
mari rogare, rogatam ultro impertire, in modo ultro offere  
exemplo Magni Patris Benedicti, & Agathonis.

5. Cito petere veniam ab eo, quem offendimus, ex  
emplo Nicephori.

6. Veniam non negare petitam, sed quantocvds col-  
dere ob exemplum Sapientij.

7. Facere ex delicio materiam virtutis, ut si pri-  
offenderis, prior veniam posules.

8. Si offendisti ansam tuā culpā non dedisti, ultro te  
men petere veniam ad augmentum meriti.

9. Veniam ab offendendo petere, non tardè, non semel tan-  
tum, non obiter ac perfusorè, non privatim in angulo  
sed cito, sedulè, serè, sapienter, etiam in publico, in allato  
presentia & confessu, exemplo Nicephori.

10. Salem coram Superiore veniam rogare propter  
te corpore, vel in genua depresso, si eum offendisti, id est  
soli usussum, seu cito, si opus fuerit.

11. Cogitatione saltem & affectu reconciliare sibi offenditum, si cogitatione & affectu offendisti; verbis, si verbis; factis, si factis.

12. Humiliare se, si offensus sit praesens; si absens & propositum firmum concipere satisfaciendi.

13. Nunquam frivolam illam reconciliationis executionem praetexere: ego nihil habeo contra illum, &c. sed vade reconciliari.

14. Dolenter quidem sed tamen a quantim iter ferre, si alter reconciliari voluerit vitio aut culpâ sua: uti fecit Nicephorus, & juvenis ille deniam a praefata mulierula rogans in monte Calvariae.

15. Post reconciliationem non minus aut remissius inimicum amare quam ante, & in pacem ac charitatem vere pristinam redire, pristinamq; resuscitare pacem & charitatem. Vide, an haec feceris, aut facias? & quid facere deinceps velis.

## INSTRUMENTUM LXXIII. Et de Dei misericordia nunquam desperare.

**U**ltimum omnium bonorum opérum Instrumentum est de Dei misericordia nunquam desperare. Sed quæres, cur rectè post præcedens Instrumentum subiungatur istud, & cur ultimo loco post omnia cætera? q. Utrumque rectissime factum: rectè inquam post præcedens Instrumentum de redeundo sine mora in pacem cum discordantibus, subiungitur Instrumentum praesens de spe in misericordiam DEI: Quippe nemo certius sibi divinam misericordiam promittere potest & debet, quam qui misericors est erga proximum vel Confratrem suum, liberaliter ei veniam offensæ dando vel offerendo, & cum eo in pacem, in amicitiam redeundo. Beati Misericordes,

ait Christus: Cur? quia misericordiam consequentur & ipsi. Qui condonant offensas, donantque veniam debita proximorum & Confratrum remittunt, etiam ipsis condonabuntur offensae a DEO, donabitur peccatorum venia, remittentur universa eorum debita. Quam mensura mensi fueritis ( ait Christus ) eadem remetetur vobis. Dimitte, & dimittemini; misericordiam facite, & misericordiam consequemini. Servus ille Evangelicus ( Matth. 18. ) qui debitori suo veniam negavit, nec veniam impetravit a Domino. Sed iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, eò quod noluerit miseri Conservi sui, cum Dominus misertus fuerit ejus: Ergo econtra qui misertus fuerit Conservi Confratris, & proximi sui, eiique veniam, & misericordiam liberaliter impenderit, veniam etiam a Deo & misericordiam impetrabit. Quemadmodum enim Christus parabolæ recensitæ subjungit: Sic Pater caelestis faciet vobis si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, & ab oppenso implicitè subjunctum puta, seu tacite subaudi: Sic Pater meus caelestis faciet vobis, si remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Non est certe, quod veniam sibi, misericordiamque desperet divinam, quisquis veniam non denegat alteri misericordiamque humanam. *In sapientia improbus postulator est* ( ait Chrysologus serm. 19. ) qui quod alijs negat sibi postulat; qui quam homo homini negat, a DEO veniam poscit, & misericordiam expectat. Sed econtra probus & providus postulator & sperator est, qui quod non negat alijs, postulat aut sperat fieri sibi; qui quam etiam homo homini donat debitorum veniam, a Deo etiam poscit & expectat misericordiam. Talis ergo nunquam desperet de misericordia Domini de peccatorum venia, de pace & amicitia cum fratribus in eunda, qui miseretur hominis & Confratris sui, quem veniam offert, & in pacem amicitiam regnare cum eo sumbito, id est ante solis occasum redit. Vides ergo quantum

aptè quam meritò S.P.B. utrumque hoc Instrumentum ordine conjunxerit, ac etiam particula copulativa ET ultrò connexuerit, sic sonante contextu: *Cum discordibus ante solis occasum in pacem redire, & de DEI misericordia nunquam desperare.* Quasi diceret: qui cum discordanib[us] citò & facile i[us] pacem reddit, non habet, quod de DEI misericordia unquam desperet, sed res ejus in salvo est, securus salutis est.

Quod verò ultimum omnium aliorum Instrumentorum ponatur, & post præcedentia omnia istud inculcetur, ne scilicet unquam de DEI misericordia desperaremus, sed potius spem habeamus in illam, ratio congruentiae est, quia ut D.Tho: 2.2. Qu. 22. Art: I. habet: *Per spem praemij induitur homo ad observantiam præceptorum, imò & ad servanda quæque, quæ melioris confilii, & de meliori bono sunt, quamvis præcepta in rigore sumpta non sint.* Prout multa ex præceptis Instrumentis, v. g. de frequenter orando, jejunando, eleemosynas faciendo, &c. non sunt in rigore præcepta. Ubi autem spes futuræ retributionis fixa & firma est, ibi etiam firma erit præcedentium Instrumentorum & bonorum operum observantia: dicente Psalmista Ps: 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem;* quasi diceret: facile bonitatem, hoc est, omnium virtutum opera facies, si sincerè speraveris in Domino, misericorditer & affluenter remuneraturo opera tua. Et alibi Ps: 33. dicitur: *Non delinquent, qui sperant in eō.* Non delinquent, inquam, contra Divina præcepta, contra bona consilia DEI, & Sanctorum Patrum, contra præcedentia virtutum Instrumenta, qui sperant in DEO & misericordia ejus. Spes igitur ad omnium virtutum opera tanquam Instrumentum generale prævallet, ideoque post omnia reliqua ultimo loco collocatur istud, tanquam Custos priorum. *Per spem* (ut idem Doctor Angelicus ait 2.2. Qu. 10. A. 3.) *revocamur à malis,* & *inducimur ad bona prosequenda.* Et hoc

est, quod tam multa nobis mandentur & inculcentur in Scriptura circa solam spem habendam: *Sacrificium sacrificium justitiae, hoc est, opera bona sacrificata Deo & sperate in Domino. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum. Sperate in eo omnis congregatio populi, & Hoc est, ob quod toties nobis in Scriptura inculcatum magnificatur, exaltatur DEI misericordia: quod reservationes ejus sint super omnia opera ejus, quod misericordia ejus sit magna nimis.* Hoc est, ob quod in uno unico Psalmo 135. feria 4. in Vesperis dici solito, vies septies repetatur, & inculcetur, quod *in aeternum sit misericordia ejus, incipiente sic Psalmo: Confitemini NB. hoc est, agnoscite, apprehendite, dicite fatentes Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia ejus: Confitemini Domino Dominorum, quoniam in aeternum misericordia ejus, confitemini DEO Deorum quoniam in aeternum misericordia ejus; quod rursum in fine repetit: Confitemini Deo Celi, quoniam in aeternum misericordia ejus, &c.* Cur ita, cur toties? quia spes unice necessaria est ad virtutum bonorum operum difficultates superandas. Ad tentationes occurrentes vincendas, & ad quodvis bonum arduum aggrediendum necessarium est sperare in Deo Auxiliatore & Remuneratore, & spem remunerationis concitere, idque indefinenter. Quia enim indefinibile agendum est bene, nunquam male, hinc & indefiniter sperandum bene, desperandum nunquam. Et in aeternum est misericordia ejus, hoc est, nunquam non est, merito certe S. Legislator jubet de ea nunquam desperare. Habes ergo hinc Lector benevolenter quare S. P. B. addiderit particulam *nunquam*.

Ergo de DEI misericordia nunquam desperandum est, sed semper ob oculos habenda spes retributione aeternae, ut semper stimulum habeas bene operandi, & praecedentia Instrumenta adimplendi propter retributionem vitae aeternae. Ut patet ex contextu & ipsius verbi

verbis S. Patris immediate subjungentis hæc verba, (ijsque caput illud quartum de bonorum operum Instrumentis concludentis : ) Ecce hæc sunt Instrumenta artis spiritualis, quæ cùm fuerint à nobis adimpta, illa merces nobis à Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit DEUS his, qui diligunt eum. Ubi præmissis bonorum operum Instrumentis subjungit S. Pater monitionem de mercede, quæ danda est operantibus & adimplentibus illa : ubi volens S. Pater ostendere, incomprehensibilem esse mercedem dandam adimplentibus præfata sancta opera, adducit illud Apostoli testimonium I. Cor: 2. Nec oculus vidit, &c. ut vel sic magnitudine tantæ mercedis calcar aderet, & magis extimularet ad præfatorum operum obseruantiam. Quibus verbis insinuare vult S. P. Benedictus illud ipsum, quod alibi D. Augustinus : Fides non capitur, sive non attingitur, charitate non comprehenditur, desideria & vota transgreditur, quod Deus præparavit diligentibus se, & prædicta opera ex DEI amore exercentibus. Acquiri potest, estimari non potest. Vel quasi diceret cum Greg: Hæc sunt spiritualis artis Instrumenta, à nobis diu noctuque incessanter adimplenda, ob immensitatem mercedis à DEO recompensandæ : Quæ enim lingua dicere, aut quis intellectus capere sufficit illa supernæ felicitatis ( quanta sint ) gaudia, Angelorum chorus interesse, cum Beatis spiritibus in gloria semper consilere, præsentem Deum ternere, incircumscripturn humanum videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis munere perpetuo lœtari, &c. Sed si delectat magnitudo præriorum, non deterreat certamen laborum, si labiorum est priora omnia Instrumenta in opus redigere, meminerit Religiosus ad magna præmia non perveniri, nisi per magnos labores. Hinc ergo recte in hunc locum Gerardus Noster sic loquitur : Meritò ( sit ) hoc Instrumentis bonorum operum annumeratur

tur postremum: Spes enim ad laborem concitat, dicitur  
manu Domini auxilium exspectat & primum.

Tertia causa additi in fine hujus Instrumenti ut S. Pater occurreret afflatis, scrupulosis, vel aliis anxijs de salute aut prædestinatione sua, quibus maximè utile & necessarium est hoc Instrumentum quo nimirum metu reculant inanem, scrupulosus que vel quemcunq; remorsam conscientiae amoveant; qui vel maximè obesse & obex esse solet, quoniam nūs magnanimiter procedant aliqui abjecti & pusilli nimes in via virtutis, nec virtuosorum operum difficultates perumpere ac vincere conantur. Igitur S. P. inquietudinem hanc animi omnium aliarum miseriarum longè maximam ab illis hocce Instrumentum vult proscriptam, ut potè quæ totum Religiose viscum & arduum ( sed proficuum ) perfectionis suum aut conversionem ad Dominum sistere inverterere potest. Talis erat Floriacensis ille Monachus ex tali forte animi anxietate, & pusillanimitate desperationi jam proximus. Cui idem S. P. Benedictus presens ei Instrumentum suggestit, eumque amantissimi solando ab interitu vindicavit. Addens ( pro nolite etiam & omnium pusillanimium Benedictinorum latitatio ) ex frequentissimo illo cœtu Floriacensium Monachorum à primis conditi Cœnobij annis ad eas usque tempora nec unum quidem perire, sed cœlitibus scriptos & insertos universos affirmans, Ebroino uno unico excepto, qui abjecto cucullo majoratum Gallia sit invasurus, ita nimirum in hujus Cœnobij Communitate impletum est, quod Angelus eidem S. Patriarchæ Benedicto in Monasterio S. Mariæ de Portiuncula agenti prædixerat, nullum in ejus Ordine moriturum quin qui male inceperit vivere, nec destiterit, vel confundendus, vel ab ipso Ordine projiciendus, vel per se egressurus, cæteros omnes esse salvandos de uni-

verso Ordine. Ergò macte animis estote Religiosi Benedictini, de misericordia DEI nunquam NB, nunquam desperate; nunquam deerit vobis illa, si vos non desitis illi: Satagite solum, ut per bona opera certam spem, & vocationem vestram certam faciatis, ut loquitur Apostolus: non desperatio vos unquam, non anxietas, non pusillanimitas retrahat à studio & studio virtutis & dictorum honorum operum. Quin potius amor & executio dictorum operum faciat vos bene sperare, quam ut mala spes seu desperatio aut pusillanimitas à dictis faciat operibus recedere: Quidquid sit de antecedentibus actibus & anteacta vita; quando quod factum est, infectum fieri nequit. Quidquid sit de præterito, de misericordia DEI nunquam oportet desperare ob præterita, sed potius quoad futura. Hinc

Quarta causa, cur ultimo loco collocetur hoc Instrumentum boni operis, est, quia Religiosis ( quid ni enim etiam inter hos quandoque mali & peccatores sunt? ) peccatorum cœno immersis, & plenis non tam bonorum operum, quam oppositorum scelerum, non aliud asylum potest esse reliquum, nisi spes in divinam misericordiam; si quis igitur plurimorum vel omnium priorum Instrumentorum prævaricator & reus esset, & nullius boni operis sibi conscius, hujus tamen adhuc Instrumenti meminerit oportet, ut de DEI misericordia non desperet. Peccata enim tua & magnitudo & numero finita sunt, & definiri possunt; miserationes autem DEI neque magnitudine, neq; numero possunt circumscribi. Non ergo est, quod desperes unquam de DEI misericordia, quæ infinites major est impietate tua: plus ille potest dimittere, quam tu committere, plus ille parcere, quam ullus homo peccator peccare. Nunquam ergo potes, nisi insipienter de misericordia DEI desperare, quantumvis magna sint peccata tua: multiplicata etiam super multitudinem stellarum, & super numerum arenæ maris. Si

seductor multorum es, & complex vel auctor alieno  
 rum peccatorum, exemplo tibi sit ipse primus pater  
 Adam, qui & lapsu suo totum perdidit mundum,  
 omnemque suam prolem inficerit, nihilominus ad  
 meliorem mentem, ad poenitentiam reductus, misericordiae DEI, divinæ gratiæ & amicitiæ, coelestisque  
 gloriæ participes factus est. Si adulter, si homicida es  
 in mentem David revoca; Si elatus, superbus, refre  
 starius es? Nabuchodonosorem; Si avarus? iniquus?  
 Matthæum, aut Zachæum; si libidinosus & fornicat  
 tor es? Magdalenam, si denique latro es? si perfidus  
 Christum negasti? latronem bonum cogita, Petrum in  
 mentem revoca; hortante & consolante te Bernardo  
 ser; 3. de solemnitate SS. Petri & Pauli: Si Petrus pug  
 gravem lapsum, si Paulus ad tantam rediit eminenter  
 sanctitatis, quis de cetero desperet, si tamen egredi voluerit  
 à peccato? Nulli ergo desperandum est, sed sperandum.  
 Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit:  
 Psal. 3. 10. Circundabit, hoc est, omnia peccata eius  
 ( quantumcunque aut multa, aut magna ) cooperiet  
 & superexcedet. Usq; adeò misericordia DEI major  
 est omni malitiâ, & iniquitate ( cuiuscunque gravitas  
 sit) ut Augustinus asseveret: Velut scintilla ignis in  
 medio mari undig, circumdatur & exeditus a mari, sicut  
 est omnis malitia ad misericordiam DEI.

Sint mille millia peccata tua, non est desperan  
 dum de venia, dicente Scriptura Exodi 34. Misericordia  
 & misericors Dominus, clemens & patiens, custodius  
 misericordiam in millia. Qnod Deut: 5. iterum con  
 firmat Scriptura: Facit misericordiam in multa milita.  
 Commiseris ergo peccata mille, & decies millies cen  
 tena millia, eaque enormia! quid factu opus? declina  
 à malo nunc, & fac bonum, salvus eris: Dicente DEO  
 Isa: 45. Convertimini ad me, & salvi eritis. Certe  
 attestatur, & protestatur ipse misericordissimus DEUS  
 ( Ezech: 18.) nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur &  
 vivat.

vivat. Ergo cum piissimus Dominus non desideret peccatoris mortem & interitum sed vitam; ipse sibi misericordiae claudit januam, qui ab eo desperat peccatorum recipere veniam. Si homini fragili, si discipulo suo Petro usque septuages septies iuilit fratri dimittere offensam, multò magis ipsissimus fons pietatis & misericordiae Christus usq; millies & centies milles veniam potentibus peccatoribus, remittet delictum. Si enim unica ejus sanguinis gutta salvum, & mundū facere totum mundum potest ab omni scelere, si unica stilla sufficit ad totius mundi lavanda crimina, quantò magis unius fragilis peccatoris delicta lavabit? Tantum superest, & unusquisque convertatur ab impietate sua, & faciat fructus dignas penitentiae, ambuletq; in novitate vitae, & noviter (quantum prævalet, tempusq; concedit) in operibus bonis desudet. Hinc verissimum est, quod dicit Isidorus: *Qui de venia desperat, plus se de desperatione, quam de conuicione scelere damnat.* Quod bene pondeandum! Magnam injuriam DEO facit, qui de ejus misericordia diffidit: Qui enim desperat de venia peccatorum, quantum in se est, negat DEUM habere misericordiam; aut certè negat DEUM habere veracitatē, dum pénitentibus promisit veniam, aut certè negat ei potestatem dimittendi peccata. Adeoque negat DEO essentiam suam. Proh quantum facinus, desperare de DEI misericordia! Et ideo teste Hieronymo: Judas plus offendit DEUM, quandò se suspendit, quam quandò cum tradidit. Sic cut miserations DEI sunt super omnia opera ejus, sic desperatio de DEI misericordia videtur esse super omnia alia peccata. Nulli ergo quantum vis scelerissima peccatori de misericordia DEI desperandum est, nulli despontendus animus, nulli abicienda spes de consequenda venia. Neque dicat quisquam ad extrema fortè jam deductus, jam nimis serò est ad DEUM converti, &c. Nulla enim pénitentia sera est, modo

fit seria. Neque enim, ut reconcilietur tibi Deus,  
opus est morā temporis. Omnia complevit (ait Cœli-  
rius hom: 18.) qui, quod potuit, fecit. Quia volunt  
perfecta faciendi reputatur pro opere facti. Ergo velle  
semper bene fecisse, velle ( quantum in se est ) postea  
semper bene facere, si diu vivere contingeret, pro oper-  
facti reputatur. Notent bene hoc Religiosi & peccat-  
tores omnes qui ( quamvis tardè ) volunt converti ad  
Dominum. Incipiunt tantum ! & de DEI misericor-  
dia non desperent. Notent & illud S. Augustini, ser.  
109. de tempore : Tempus est misericordiae, ut corri-  
gatur, nondum venit tempus iudicij, quando diu in hoc tem-  
poris sumus. Locus est, spatium est; peccavimus? cor-  
rigamur. Nondum finita est via, nondum clausus est  
dies. Quām diu spiras, liberi arbitrij es, quod vis, potes  
Adbuc ( si Publicanus es ) potes fieri cum Matthæo Ecclæ-  
gelista. Si blasphemus es, potes fieri cum Paulo Apostolo.  
Si latro? poteris fieri incola Paradisi. Verbo: non est uia  
malitia, que paenitentia non solvatur. Quid enim non  
potest unicus & serius poenitentiae aditus? David homi-  
cidij & adulterij crimen unico verbo ( peccavi ) dele-  
vit ! quod Ambros: expeditus lib: 2. de poenitentia in  
in quantum tres Syllabæ ( peccavi ) valeant, ut illico I  
Nathan Propheta audierit : Dominus quoqu, transire  
peccatum tuum. Et illa quinque verba Publicani Lucæ  
18. DEUS propitius esto mihi peccatori, tanti valoris  
erant, ut qui sceleribus plenus intrarārat templum Pub-  
licanus, descenderit in domum suam justificatus. Sic  
nimis inclinatur DEUS momento ad humilitatem pa-  
nitentis, quem permoveare ad vindictam non potuit di-  
turnitas peccantis. Non verbis sanè paucissimis ( ogo  
verbulis ) servus ille Evangelicus, qui decem millia tri-  
lentorum debebat ( debitum sanè ingens ) remissionem  
obtinuit totius debiti, qui tamen nec remissionem, sed  
dilationem solum, & expectationem satisfactionis  
orabat, Matth. 18. Orabat enim dicens; Parientiam  
habet

babe in me, & omnia reddam tibi: misertus aeternus Deus minus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Deinde misericordia Dei sicut nullo definitur tempore, sic nec nullo constringitur loco; ubique misericordiae locus est, nullibi desperanda est: quam David invenit in Regio palliarum, Paulus in aperto Campo, Magdalena in convivio, Publicanus in templo, Zachaeus in Sycamore, Matthaeus in telonio, &c. Quidni eam Religiosus inveniat in Monasterio? Et quilibet Christianus in quoconque templo, aut etiam domi sua? De immensa hac DEI misericordia nunquam & nusquam desperanda, Thraulens vir Religiosissimus apud virum Religiosissimum Blosum nostrum in consolatione pusillanimum c. ii. §. 2. ita loquitur: *Tanta Domini misericordia est, ut stupa aliqua sit linum in immenso igne positum non tam citè incendi possit, quam ipse peccatori verè dolenti, peccata omnia condonare paratus est.* Porro in monili spirituali idem Blosum de S. Gertrude ait: *Audierat hæc aliquando pro coniunctione, neminem posse salutem consequi, nisi saltem tantillum vere charitatis habeat, ut ex amore DEI paniteat, abstineatq; à peccato; vnde apud se cogitabat plurimos migrare ex hac vita, qui videntur paenitere magis timore gehennæ quam amore DEI.* Quid ergo cum his? Talia volventi benignus Servator respondit in hunc modum: *Quando video illos agonizantes, qui mei nonquam NB. dulciter recordati sunt, vel aliquid NB. Meritorij operis peregerunt, in ipso mortis confusio exhibeo eis metuam pium, amabilem, & benignum, ut ipsi ex intimis cordis medullis doleant, quidam unquam me offendebant, ut per talem paenitentiam apti reddantur ad salutem consequendam, ut perire non possint.* Nota hoc Religiose aut Christiane: *Qui nonquam Christi Domini dulciter recordati sunt (antu nunquam plane recordatus es?) vel aliquid meritorij operis peregerunt (antu tua vita nil operis egisti boni?) bis DEUS tuum pium amabilem & benignum se exhibet.*

Quidni

Quidni & tibi? quid quæso speras, si misericordiam desperas de misericordissimo D E O?

Dnplex ad salutem via est, una declinando cul-  
pam, altera non desperando veniam. Si primam viam  
deseruisti, non deserere secundam. Sed dices, jam ni-  
mis tardé est converti ad Dominum. *W.* Sat citò con-  
verteris, si sat bene. *Nullus* ( ait Amb: ) desperare di-  
bet veniam, etiamsi terea vitæ finem ad paenitentiam con-  
vertatur: *minimquemq;* enim *DEUS* de suo fine, non de-  
sua vita praterita judicat, sed quacunq; hora pecc-  
tor ingemuerit, omnium iniquitatum præteritarum  
eius non recordatur amplius. Non respicit *DEUS*,  
quales ante viximus, sed quales in fine vitæ fuimus.  
Si finis bonus est, tecum bene est, & totum bonum erit.  
*Qnqd si verò adhuc ante finem vitæ resipiscens, cupiss-*  
*esse particeps Regni cœlestis, multò minus desperan-*  
*dum est, eodem Ambrosio hortante ( in cap: 1. Luca. )*  
*Nemo veterum conscius peccatorum præmia Divina de-*  
*speret, etiamsi infernum promeritus sit. Novit Domi-*  
*nus mutare sententiam, si noveris emendare delictum. Si*  
ergo recognoscis, quod hactenus nimis vehementer,  
nimisque frequenter *DEUM* offenderis, & propterea  
doles; saltē cessa offendere; id est de misericordia  
eius non despera! quia gravius est de *DEI* misericor-  
dia desperare, quam quoenq; peccato Deum offen-  
dere. Gravius peccavit Judas desperando de benigni-  
tate Christi, quam Christum tradendo. Igitur despe-  
randum non est, si etiam Christum tradidisses, occidi-  
ses, crucifixisses. Si unus omnium hominum pecca-  
ta perpetrasses, desperandum minimè foret, quia pro  
omnibus possibilibus peccatis abundè satisfecit Chi-  
stus, & pro omnibus mortuus est. Finiti ad infinitum  
nulla est proportio. Peccata tua finita sunt; Miseri-  
cordia *DEI* infinita est. Quid sequitur, nisi quod de  
*DEI* misericordia nunquam oporteat desperare.

Restat, ut remedia quædam efficaciora contra de-  
spe-

sperationis vitium & temptationem, in medium affera-  
mus, quorum sex assigno : Primum sit consideratio  
infinitæ DEI bonitatis, cuius proprium est misereri  
semper & parcere ; qui plus vult semper misereri, quām  
nos à miseria liberari. Cogita scintillam (ait Chrysost.)  
Si in mare inciderit, extinge i, absundi, absorberi, nec posse  
flare. Quantum est scintilla ad mare, tantum hominis  
malitia ad DEI Bonitatem & Misericordiam.

Secundum est fiducia in Christum Redemptorem  
& meritum passionis ejus, quia apud Dominum Mis-  
ericordia, & copiosa apud eum redemptio : ipse est DEUS  
veniae largitor & humanæ salutis amator, qui nemini  
vult perire, sed potius salvum facere venit, quod  
perierat. Unde Apostolus : *Quis est, qui condemnnet?*  
*Christus JESUS?* qui mortuus est, immo qui & resurre-  
xit, qui est ad dextram DEI? qui etiam interpellat pro  
nobis? Qui nos tanto prelio redemit, non vult perire quos  
emit; inquit Aug: Non emit, quos perdat, sed emit,  
quos vivifecet. Id quod ipse Christus Dominus multis  
exemplis fecit testatum. Inter alia narrat unum Pe-  
xenfeld: hist: 60. de S. Carpo Episcopo Cretensi, qui vir  
alias vitae sanctitate clarus, sed intempestivè zelosus  
viderat quendam Christianum à quodam idololatra  
ad idolorum culturam induci : cuius utriusque fla-  
gitio ita excanduit, ut utrumque caput impium ( se-  
ductorem & seductum ) Orco devoverit. Orcum er-  
go in pœnam imprecatus utrique, vidi subito cœlum  
supra se aperiri, Iesumque innumeris Angelorum Le-  
gionibus stipatum in cœli cardine residere cum Ma-  
jestate magna ; subtus vero terra in immensum chaos  
discedebat, & ad os immensis illius voraginis ( unde  
famus exhibat de igne infernali ) duos illos viros stan-  
tes, miserabiles, trepidos, trementes, & jamjam ruitu-  
ros, aut certè similes ruituris. Accedebat ad hoc ex-  
imo barathro formidabilis draco, dentibus frendens,  
& caudam stringens atque subvolvens, quasi jamjam  
viro

viros ambos idololatras devoratus, & utrumque secum in infinitum illum hiatum pertracturus. Quia tamen mora fiebat in utriusque interitu; non miserebat Carpum eorum in extremo perditionis æternæ periculo positorum, sed indignè potius ferbat nondum cō pro demeritis suis corruiſſe, nondum pœnas datur in inferno. Inter hæc iterū conspicit Christum de cœlesti illa sede consurgere, & ad miseros illos & infelices descendere, manūmque illis benignè porrigeret, protensā ad jam præcipites dextrā, quā eos misericorditer de barathro perditionis eriperet. Audijt etiam Servatorem inter hæc dicentem sibi : *Age in precipitum (si putas) miseros, pro quibus ipse sanguinem tuum fudi.* Non hoc agam ego; non deferam etiam nūm in ultimo damnationis æternæ periculo constitutos, quin adeò, si necesse foret, non detrectarem passionem & necem semel exantlatam, iterū pro ijsdem subire. Et cum dicto disparuit visio. Tanta est benignitas in Christo JESU Salvatore Nostro ! Tam prop̄ptus est ad veniam ! tam invitus ad pœnam ! Quis ergo desperet de misericordia ejus ?

Tertium est consideratio efficacitæ, quæ inest pa-  
nitentiæ & quidem vel unico actui illius; cuius vi &  
efficaciâ universa abolentur delicta : adeò virtus hæc  
virtuosa medicina est, ut contra eam nulla spiritualis  
infirmitas prævaleat. Et si verum est, quod adagio  
dici solet : *In herbis, verbis, & lapidibus latet maxima  
virtus, hoc sanè de verbis pœnitentiæ erit verissimum :*  
unico peccavi : *Deus propitius esto mihi peccatori.* Cion  
veneris in regnum tuum, memento mei : Patientiam  
habe in me, & omnia reddam tibi, &c. deleta & curata  
sunt peccata enormia, vulnera maxima. Dimissa sunt  
publicæ in civitate peccatri ci peccata multa, cur? quo-  
niam vel unico actu dilexit multum, seu multam di-  
lectionem ostendit. *Omne debitum dimisi tibi.* ait Rex  
ille Evangelicus : *Quoniam rogasti me.* NB. Quid vero  
vel

Vel quantum, quam diu rogavit? modicum rogavit  
 & bonum; Patientiam habe in me, & omnia reddam.  
 Et ecce omne debitum dimisit ei, quoniam sic rogavit  
 eum: non quia triennio aut triduo in pane & aqua  
 inediā sustinuit, non quia vigilijs, longis peregrina-  
 tionibus, cilicio, cinere, virgis, flagris, urticis, vepribus  
 corpus castigavit ac fatigavit, sed quia animo contrito  
 rogavit eum. Ergo roga & tu veniam, si rogasti, im-  
 petrasti.

Quatum remedium est consideratio, & in memo-  
 riā revocatio illorum peccatorum toties memorato-  
 rum, & aliorum sexcentorum, cum quibus Dominus  
 legitur misericorditer egisse: certè misericordia alijs  
 tam multis tam, magnis peccatoribus impensa docet  
 nos non desperare de misericordia: quin quilibet po-  
 tius in spem erigi debet & dicere cum Ecclesia: Qui  
 Mariam absolvisti, & latronem excusasti, mihi quoq;  
 spem dedisti: Quid ô Fratres ( ait Greg: M. hom: 25.  
 in Evangelia, agens de Maria Magdalena ) in Mari.  
 & alijs similibus peccatoribus conversis debemus aspicere,  
 nisi immensam misericordiam Conditoris nostri, qui nobis  
 ad exemplum & consolationem posuit eos, quos per paenit-  
 entiam vivere post lapsū fecit. Perpendo enim Petrum,  
 considero latronem, aspicio Zachaeum, intueor Mariam,  
 & nihil aliud in his video ante oculos nostros, nisi spes, &  
 misericordia exempla. Fortasse enim in fide lapsus est  
 aliquis, aspiciat Petrum, qui amare levit, quod timi-  
 dè negaverit, & veniam obtinuit. Alius contra pro-  
 ximum suum in malitia crudelitatis exarsit, aspiciat  
 latronem, qui & in ipso mortis articulo ad vitæ præmia  
 pœnitendo pervenit. Alius a varitiae æstibus impul-  
 sus, aliena disruptus, aspiciat Zachaeum, qui si quid ali-  
 cui abstulit, quadruplum reddidit, & DEUM in inte-  
 rioris hospitij domo accipere meruit. Alius libidinis  
 igne succensus immunditiam carnis sestatus est, aspi-  
 ciat Magdalenam, quæ in se amorem carnis igne divini

zmoris excoxit. Ecce Omnipotens DEUS ubiq  
oculis nostris, in quibus exemplum & solatium, spe  
nostræ anchoram habeamus, objicit, ut nusquam  
nunquam de DEI misericordia desperaremus.

Quintum remedium est cultus, veneratio, & po  
trocinium Beatissimæ Mariæ Virginis, & aliorum San  
&orum Patronorum. Quanta sit efficacia deprecationis  
Beatissimæ Virginis pro peccatoribus, nemo est, qui  
nesciat. Hæc est afflictorum solatium, & peccatorum  
omnium refugium. Unde Bern: *Si criminum innu  
nitate turbatus, si conscientiae fuditate confusus, si judic  
horrore perterritus es, si burattro incipias absorberi tr  
istitia & desperationis abyssum, Marianus cogita, Mariam  
invoca.* Hæc Mater pulchræ dilectionis, & sancte ipsa  
est. Ipsam roga, nece despera: ipsa tenente non ca  
ruis, ipsa protegente non peris, ipsa propitiâ propitiatur  
bitur tibi & DEUS. Nec juvat hanc veritatem testari  
facere exemplis, quorum innumera sunt, in obviis  
quibusvis libris reperienda, quibus Misericordia Ma  
ter MARIA de DEI misericordia desperantes in spe  
veniae, & spem salutis æternæ, reduxit, quæ breviter  
causâ omitto. Sanctum vero Patrem Benedictum et  
pusillanimum & desperantium Patronum insinuar  
mus prius pag: 118. quem proinde invokeare, & in qua  
spem ac fiduciam tuam reponere possis.

Præterea juvabit in Patronum & patrocinium vo  
care S. Stephanum Abbatem Nostri Ordinis, & Grat  
dimontensis Cœnobij institutorem, qui adhuc inter  
vivens & inter peccatores agens, peccatores jam in ter  
tius suis penè sepultos docuit pœnitentiam agere, & de  
DEI Misericordia nunquam desperare. Fuitque unu  
ex multis ( miles ) vitæ & mentis desperatissimæ, qui  
focios ad frugem, ad DEI amicitiam, ad veniam regni  
rum, efficaciâ precum ejus reductos esse videns, & it  
digne ferens, ausus est Virum sanctum rogare, ne pro  
fe DEUM deprecaretur, eò quod tam familiare sibi ga

peccatum, ut illud deserere & odiisse penitus non posset. Neglexit stultas preces Stephanus, ac meliores pro salute obstinati & desperati capit is ad DEUM fudit. Et viꝝ limen egressus desperatus miles, non tam a Stephano quam a se ipso abiit; vel potius ad se & ad Divum reversus, cum seria pœnitentia ad bonam frugem rediit & fecit fructus dignos pœnitentiae; & sic qui erat filius iræ, factus est cliens divinæ misericordiæ. Si Stephanus Abbas adhuc inter peccatores agens, non invocatus aut rogatus, peccatori invito & nolenti, precibus suis impetravit divinam misericordiam; an tibi impetrare eandem non possit eum propterea invocanti; & ipsam misericordiam & seriam pœnitentiam exoptanti? an putas benignior in miseros fuit olim Stephanus iste conversans in terris erga invitatos, quam nunc sit in cœlis erga clientes & cultores suos? Vide Annum Mar: Bened: 14. Febr.

Addo S. Catharinam Senensem, de qua refertur in vita ejus: quodcumq; dum duo desperati latrones ducentur ad supplicium, pectora habentes Caucaso duriora; nullis mohitis, nullis precibus ad pœnitentiam feriam & impetratam divinam misericordiam emollienda) rogata fuerit sancta Catharina, ut precum sanguinum efficacia, desperatum miseris salutem apud Deum exoraret. Fecit hæc, quod rogabatur. Insistit ardenter S. Virgo orationi, enixa pro perditorum hominum spe & salute DEO supplicans: & ecce in ipsa deductione ad supplicium, Christus sese latronibus specabilem objicit, toto cruentus corpore, & multis personis vulneribus: hos ille verbis blandis alloquitur, invitat ad detestationem scelerum, promittit veniam, quam jam olim latroni secum pendenti liberaliter dasset. Ecce miram vim clementiae gratiæque divinæ? illicò miseri diffuere lacrymis, altos e pectora gemitus emittere incipiunt, Sacerdotem poscent, de peccatis suis confitentur, & participes sunt divinæ misericordiæ,

diæ, salutisq; æternæ. Tantum potuit unica Catharinae Virginis precatio pro binis hominibus sceleratis desperatis. An non pro te possit idem? ora ergo, uoret pro te, & jam de misericordia DEI non desperari. Idem est de alijs Sanctis.

Sextum remedium est frequens consideratio & lectio eorum, quæ in rem præsentem faciunt, quæ desperantem erigere, spem facere, ac firmare in DEI misericordia possint, quales sunt considerationes sequentes: classibus comprehensa, quas in gratiam & solatium pusillanimium & à desperationis spiritu tentatorum Religiosorum offerre placuit, & pro coronide hujus opusculi annexata. Quas, si saepius ac etiam per hebdomadas quotidie ruminet Religiosus, saltem secundum certa puncta sibi pro quovis die feligenda, distribuenda, & ordinanda, spero fore, ut hujusmodi tentatio brevi procul abscedat, & talis de misericordia DEI nunquam desperet. Sunt autem considerationes sequentes, quas in septem Classes divido, ut scilicet pro septem seu singulis hebdomadæ diebus servit possint.

## CLASSIS I.

*Considerationes circa DEUM contra pusillanimitatem aut desperationem.*

**C**ontra pusillanimitatem & cordis angustiam circa prædestinationem & salutem, juvabit prima sententia de DEO in bonitate, & considerare æternam DEI erga hominem quemvis dilectionem, eamque infinitam; vi cuius (ut loquitur S. Petrus) non vult aliquem perire, nisi quis ipsemet perire velit; juxta illud Olearii Prophetæ: *Perditio tua ex te Israël.* Cùm ergo tu nolis perire, & hoc ipsum nimium timens angustiaris, excute has angustias: & crede DEO testanti, quod noueris velit perire te, sed de eo bene senti, quod nunquam te abjecisti a se, nisi tu velis. Ergo.

Gott.

Considera II. DEUM non solum liberalem esse in promittendo, sed etiam fidem in servando, & teneri ex fidelitate servare ea, quae promisit. Promisit autem: *Omnis, qui petit, accipit; qui querit, invenit; & pulsanti aperietur, & quod semper datus sit spiritum bonum peccantibus eum, aut timentibus se.* Tenetus ergo DEUS salvare Te, si id a DEO petieris, & dare tibi omnia media ad hoc necessaria. Solum ergo superest, ut petas duo a DEO. Primò ut salvet te; Secundò, ut det tibi efficacia media: nec dubita de consecutione; solummodo pulsata fores divinæ clementiæ hæc duo petens: & accipies.

Considera III. DEUM non solum esse principium & fontem omnis boni, sed etiam finis & consummatio est omnis boni: qui ergo cecepisti bene facere dum de salute tua sollicitus es, peccasse pœnitentia velles nunquam fecisse, optas pœnitentiam seriam & sufficien- tem agere posse: & quantum in Te est, vis vitam corrigere. Nunquid hæc omnia bona sunt? Nunquid hoc deum dedit? Ergo utique etiam perseverantiam in tali bona voluntate & vita bene cœpta sperare a DEO, potes & debes. DEUS enim (ut loquitur Tridentinum ex Apostolo) sicut cecepit opus bonum, ita perficiet. Operatur enim, & velle & perficere in nobis.

## CLASSIS II.

### *Considerationes circa SS. Trinitatem.*

Considera IV. dilectionem DEI Patris erga te majorem esse, quam sit tuus Tui, aut patris matrisve in te amor, aut cuiuscunque alterius amici tui, quem tibi valde benevolum nosti; Sic enim DEUS mundum, sic te dilexit, ut filium suum unigenitum pro te daret: Proprio filio suo non pepercit, sed pro te tradidit illum. Sicut ergo non desperares, nec te me confices, si salutem tuam & salvationem scires.

positam esse in tuo arbitrio, vel in arbitrio parentis tuum amici tui, quin potius bene sentires de illo, atque posse in illo consideres te salvandum; multò magis si sperare debes à majori DEI erga te dilectione.

Considera V. quod etiam DEI Filius te non minus diligit ut filium, quam ipse Pater cœlestis: Imo ut fratrem te diligit, vultque ut tu quoque filius DEI sis & efficiaris; & propterea filius hominis fieri dignatus est, ut te faceret filium DEI, ut esses cohæres illius, & hæres DEI. Quod, ut obtineret, exinanivit semper ipsum, formam servi accipiens, ut tibi daret potestatem & facultatem filium DEI fieri: non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum, non tantum pro universo mundo, sed etiam pro te solo, ut pro te solo id fuisset necessarium, tantum ut te redimeret, & in libertatem filiorum DEI assereret. Iniquus ergo & ingratus es, si tantam filij DEI charitatem & opus redemptionis ejus pro te non agnoscas, & ad te non extendas, quasi rectè tu sis exclusus, & illius minime particeps.

Considera VI. Spiritum Sanctum tanquam infinitum & merum amorem, & honorum omnium fontem, qui liberalissimè sese communicat omnibus filiorum suorum & gratiarum clargitionem. In quo proinde spera quam maxime. Juvabit præterea considerare historiam, quæ refertur in speculo exempli de quodam adolescenti studioso, quem ut à scelerum enormitate ad frugem & salutis viam reduceret <sup>Santis</sup> Trinitas, apparuit illi sub specie venerandi Senis DEUS Pater, qui eum tanquam filium degenerem abjeceret & abdicaret; Altera nocte apparuit DEUS Filius, Christus Dominus & Redemptor, qui pariter ei ob impenititudinem & scelerum multitudinem minabatur damnationem; cumq; jamjam in desperationem fermè abiret æger, ecce nocte tertią adest Spiritus S. vultu placido, quem humeris insidens columba prodidit, eiq;

præmissâ (uti faciebat) homologesi, scelerum veniam & simul mortem beatam nunciavit. Igitur vel ad Spiritum S. confuge miser & afflîcte Religiose, tutus eris.

### CLASSIS III.

#### *Considerationes circa Christum Dominum.*

**C**onsidera VII. quòd Christus Caput nostrum fit, nos membra ejus, ut loquitur Apostolus. Christus autem non odit ea membra, quæ ei cupiunt esse & manere unita. Sanè talia nunquam ultrò abjicit & se. Atqui tu cupis esse membrum unitum Christo, & ideo times, & horres abscindi, hinc tuæ angustiæ! ergo frustra times.

Considera VIII. quòd Salvator noster DEUS omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut loquitur Apostolus. Et causam hujus rei addit: *Unus enim Deus & Mediator Dei hominum Christus JESUS, qui dedit semetipsum pro nobis omnibus.* Cùm ergo Christi Redemptoris efficacia & vis redemptionis ac meritorum, major sit omnibus peccatis tuis, & cum hac habeat etiam conjunctam voluntatem te salvandi, quid diffidis ergo? quid angustiaris? quin potius gaudens gaudeas in Domino, & exultes in Deo JESU tuo.

Considera IX. Christum Dominum invitantem omnes, & dicentem: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Dum omnes invitat, utiq; te ultrò gestientem venire, non excludet? Quid ergo dicas ad hæc: Si Christus pro te, quis contra te? quis est, qui condemnat te? Christus JESUS, qui mortuus est pro te? imò qui & resurrexit, qui est ad dextram DEI? qui etiam interpellat pro nobis? Igitur tantummodo diligere Christum, qui diligit te, & forsitan mitte timorem.

## CLASSIS IV.

*Considerationes ex verbis & testimonijis  
sacrae Scripturæ.*

**C**onsidera X. illa Christi Domini verba : *Omnis quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Cùm ergo ad Christum veneris, à sæculari statu ad Religiosum (in quo innueri sancti & salvati sunt) à mala vita ad meliorem, &c. Hinc gratulare tibi, quod Pater sic te Christo dederit, & ad cum traxerit; siquidem Christus promisit se tales non abjecturum, quem Pater illi dederit. Ergo tantum operam des oportet, ne sponte abeas & recedas ab eo per novæ vitæ improbitatem, à quâ quia tantopere abhorres, bono esto animo, & abhorre perge.

Considera XI. similia Christi dulcissima verba : *Hæc est voluntas ejus, qui misit me Pater, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Nunc oro te: Nonne Christus exactissimè semper & perfectissimè Patris sui voluntatem implevit? semperque implere paratus est? Cùm ergo ope DEI Patris datus sis Christo per cognitionem Christi, per Christianæ fidei, immo & sacrae Religionis Professionem, hinc spera in eo, quod te minimè perditum velit, nisi tu ipse velis.

Considera XII. alia Christi verba : *Hæc est voluntas Patris, qui misit me, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cùm ergo DEI beneficio habeas veram Catholicam, ac salvificam fidem simul cum dilectione DEI, quem haud dubie diligis, & placere illi super omnia anhellas, & vel ideo tibi peccata displicant & vita præterita, quia displicant DEO; quid ergo ambigis, quin hæc voluntas Patris sit implenda, ut (qui credis in illum fide minimè mortua sed vivâ) non periturus, sed habiturus sis vitam æternam.

CLAS-

## CLASSIS V.

Considerationes ex testimonij Conciliorum  
& SS. Patrum.

**C**onsidera XIII. suavissima & verissima illa Concilij Tridentini verba *DEUS suā gratiā justificat non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Atqui DEUS te non semel, sed saepius justificavit per baptismi & pœnitentiae Sacramentum, per contritionis actus, &c. neque Deum vis deserere, sed sollicitus es, ne deseraris ab illo : & hoc ipso, quod hoc timeas, fugias, horreas, non vis eum deserere ; ergo non deseret ille te. Hoc ipso certe, quod voluntatem habeas eum saltem post-hac peccato mortali non offendendi & deserendi, nondum DEUS te deseruit, nec deseret.

Considera XIV. verba S. Augustini miræ consolationis, Psal: 148. dicentis: *Incredibilis est, quod mortuus est æternus, quam ut vivat in æternum mortalis.* Jam quod incredibilis est, fide firmâ credimus & tenemus: mortuum esse æternum ? quidni igitur firmâ spe tegeas, te vieturum in æternum propter eum, qui cum æternus esset, pro te mortuus est. *Qui credit in me ( ait Christus ) etiam si mortuus fuerit, vivet.* Etiam si mortuus sis semel vel aliquoties in peccato gravi, vives: modò credas in Christum, & te credas illi, illique confidas.

Considera XV. verba S. Ambrosij, qui jamjam moriturus, Clericis rogantibus (ut à DEO vitæ prolongationem peteret) respondit: *Non recuso diutius vivere, non tamen mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Nonne & tu Religiose eundem Dominum habes, quem Ambrosius? Verè bonum Dominum habemus. *Bonus est Dominus timentibus eum, anima querenti illum,* inquit Propheta Thren. c. 3. v. 25. Quia igitur & Tu Religiose Dominum times, qui timor has ipsas

ipsas, quas pateris, facit angustias, illumque non sine  
anxietate querit anima tua? nunquid non & tibi ho-  
nus ac benignus erit? fiduciam ergo concipe, & de tam  
bono Domino propitiationem & securitatem tibi in  
morte promitte.

## CLASSIS VI.

### *Considerationes ex tribus signis præde- stinationis.*

**C**onsidera XVI. signa prædestinationis & Divinitatis voluntatis volentis nos salvare, non esse certiora  
quam si det media simpliciter ad salutem necessaria i-  
uti sunt baptismus, vera fides, & notitia ac observan-  
tia mandatorum DEI, cum ergo & baptismum, & sal-  
vificam fidem Dei beneficio consecutus sis, constitutus  
in vera Ecclesia; & DEI mandata pro tempore cate-  
nus serves, ut nullum a te violatum sit præceptum,  
cujus violationem per Confessionem non expiaveris,  
quantum scis te illud violasse, aut expiare velis: ideo  
quam diu taliter constitutus magis, existima fiducia  
liter Deum velle, ut salveris.

Considera XVII. secundum signum Electorum  
esse vocationem ad Statum Religiosum, seu esse Religio-  
sum; testante Christo: *Omnis, qui reliquerit dominum*  
*vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem,* &c.  
*propter Nomem meum: vitam aeternam possidebit.* Quod  
quia & tu fecisti, Patrem, Matrem, Uxorem accipien-  
dam reliquisti, consolare, & esto laetus. Tantum da  
operam, ut in hoc statu perseveres ad mortem, nec istsa  
pro Christo reliquisse amplius pœnitentia.

Considera XVIII. si voluisset DEUS te perdere, &  
te non salvare, non fuisset opus te ad fidem Catholi-  
cam, aut ad Religionem vocare; cum ergo te vocari  
ad consortium & domicilium suorum Dilectorum, si-  
gnum est, quod speciali te dilectione dilexerit, ac dili-  
get.

gat, & salvare te petat saltem propter alios Confratres, qui orant pro te, & amant te, nec te sine perire.

## CLASSIS VII.

*Ex alijs signis Prædestinationis.*

**C**onsidera XIX. tertium prædestinationis signum esse averzionem animi à peccatis mortalibus, ac etiam à venialibus saltem cum plena advertentia deliberatè ac ex proposito commissis aut committendis: quæ duo cùm tibi Dominus dederit, & soveat in te: quid dubitas de salute? Tuum tantum est dare operam, ut maneat in te iste affectus & animi avercio, quibus manentibus temeritas est timere damnationem.

Confidera XX. quartum prædestinationis signum esse vitam crucibus refertam: sed dic amabo, an tua vita sine cruce est? mentiris, si afferis. Nam hæc ipsa tua pusillanimitas & animi angustia tibi crux est & Dux Paradisi: Et quod majoribus vel crebrioribus angustijs vel alijs crucibus te gravatum noveris, tanto amplius exultes; spe fatus certa, quod per has tribulationes oporteat introire te in Regnum Cœlorum, sic ordinante, sic volente DEO.

Confidera XXI. quintum prædestinationis signum esse: Carnem propriam crucifigere cum vitijs & concupiscentijs suis. Juxta illud ad Gal: 6. Qui sunt Christi, carnem suam crucificerunt cum vitijs & concupiscentijs suis? Hoc autem tu facis, dum carnis petulantiae obstat, motus refrœnas, desideria carnis non perficis, ab illicitis delicijs metu peccati abhorres. Et in carne non vivis secundum carnem, saltem de facto (uti multi alij) sed spiritu facta carnis mortificare satagis. An nescis vero, quod Apostolus dicat: Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis; tales enim spiritum DEI sequuntur. Quicunque autem spiritu DEI aguntur, illi sunt filii DEI, teste Apostolo.

Considera ultimò sextum prædestinationis signo esse, bene affici erga res Divinas & spirituales ; erga vitam spiritualem & perfectionem ; erga virtutem & maius DEI beneplacitum, etiam si re ipsa usquequaque omnino spiritualis, perfectus & virtuosus in summo non sis. Dicit enim Scriptura : *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam :* ( NB. ) non solum qui justi sunt, sed qui sitiunt justitiam, & erga illam affectu sincero bene affecti sunt, beati sunt. Atqui nonne tu bene affectus erga res Divinas & spirituales ; ideo enim contumbaris timore peccati, vellesque totus esse Divinus, & unus cum DEO spiritus. Cuperes in omnibus & in gradu summo esse virtuosus, placensque Deo. Cum ergo sis è numero eorum, qui sic justitiam sitiunt, atque esuriunt, nonne utique eorum è numero es, qui & ipsi saturabuntur, & qui à Christo pronunciantur beati.

Hæc in rem præsentem sufficiant, quibus discere Religiose sentire de Domino in honestate, & de Misericordia, Clementia, benignitate, benevolentia, & adiutorio DEI nunquam desperare.

*Synopsis & praxis totius Instrumenti.* 1. *Misericordem esse erga quemcumq; proximum, vel Confratrem, ut vel sic ansam habeas de Misericordia viciissim DEI nunc quam desperandi.*

2. *Confidere in Domino, & exspectare de manu DEI non solum præmium in futuro de bonis operibus, sed etiam auxilium de præsenti ad bene operandum, & finaliter perseverandum.*

3. *Circum salutem & prædestinationem omnes anxietates & scrupulos deponere, ex consideratione infinita DEI Misericordiae & Bonitatis.*

4. *Ante omnia positivam de Dei Misericordia diffidentiam & desperationem deponere, quantacumq; sit periclorum tuorum magnitudo vel multitudo, quia Misericordia DEI major est ; & hoc peccatum omnibus prioribus peccatis majus.*

5. *Con-*

5. Confidere in Christum Redemptorem & Advocatum nostrum apud Patrem, & in merita Passionis ejus ; & vel ideo de Misericordia DEI nunquam desperare.

6. Colere specialiter, & venerari Beatissimam Virginem, quae est Mater sancta spei, afflictorum omnium solatium, peccatorum refugium. Item S. P. Benedictum, S. Stephanum Abbatem, S. Catbarinam Senensem. Quorum meritis & interventione infallibiliter possis sperare & obtinere, in presenti emendationi gratiam, & in futuro gloriam.

7. Frequenter considerare & legere ea, quae pusillanimem animum erigere, & spem firmare possint consequenda infallibiliter salutis aeterna. Quia spes hæc tamè magis excitat ad observantiam mandatorum DEI & bonorum operum ; his autem positis infallibiliter salutem consequeris. Considera igitur probè & sepe considerationes ante adductas, vel alias hujusmodi. FAC HOC, ET VIVES.

## CONCLUSIO

SEU

## EPILOGUS

*Capitis IV. de Instrumentis honorum operum.*

**C**onclusio & Epilodus capitis IV. in Regula S. B. sic se habet : Ecce hæc sunt Instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint à nobis die noctuq; infessabiliter adimpleta, & in die judicij reconsignata ; illa merces nobis à Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quam oculus non vidit, nec auris auditit, nec in cor hominis ascendit ; quam preparavit DEUS his, qui diligunt eum.

Ecce hæc (nempe supradicta & per ordinem hucusque exposita documenta) sunt Instrumenta artis spiritualis. Sicut enim homo constat duplice substanciali & essentiali parte, corpore scilicet & animâ, sic etiâ duplex

plex ars est, corporalis & spiritualis; una, quā corporis altera, quā animus exercetur. Sicut igitur quilibet artifex ad suam artem bene exercendam, bona & m̄ta solet & debet habere Instrumenta, ut opus interius ritē perficiat, sic Religiosus & bonus Christianus animam suam sic pollire & exculpere volens (ut eam reddat DEO acceptam) Instrumentis indiget spiritibus, qualia sunt relata bonorum operum documenta seu principia, quae in fronte Capitis IV. Regulæ, S. P. Benedictus Instrumenta vocat bonorum operum, rationem ab initio datam. Sicut enim Instrumenta sua sunt fabris, pictoribus, alijsque artificibus, quibus opus eorum perficitur, ita & sunt instrumenta virtutum, quibus spiritualis vita componitur, & anima exornatur. Et si

*Quotquot sunt artes, non est præstantior zella,  
Quam bene felici discere morte mori.*

Sanè ipsissima hæc ars, ars est bene feliciterque moriendi, ad quam prædicta Instrumenta pertinent; quibus utique mors beata cuditur, & æterna beatitudo fabricatur, stabilitur, perficitur. Sed quemadmodum non sufficit Artifici instrumenta ad bene operandum nisi suæ propria comparasse, conquisivisse, ac in potestate habere, nisi ijs manum admoveat, & ad opus elaborandum manus applicet, ita Religioso artis spiritualis Alumno parùm prodest nosse, & in promptu habere spiritualia hujusmodi Instrumenta, si in opus non incumbat, si manum operi non admoveat, si vitam atti- suæ conformem seu Instrumentis spiritualibus, hoc est Regulis directivis consentaneam non instituat, idcirco subjungit merito S. P. Benedictus ea Instrumenta & documenta à nobis esse adimplenda, nō scienda solū.

*Quæ cùm fuerint à nobis die noctuq; inceſſabilitate adimplata, &c. Hic quæres: quomodo possint hæc Instrumenta & documenta bonorum operum die noctuq; adimpleri? w. Intelligendum id esse de adimplere*

impletionē, quoad habitum, non quoad actum: tunc enim censentur nocte dieque adimpleri, quando neq; nocte, neq; die quidquam illis contrarium fit, quod dictis principijs, documentis, & Instrumentis contrarietur: quo etiam sensu intelligendum est illud Psalmi I. *In lege Domini meditabitur die ac nocte.* Et Psalmi 32. *Benedicān Dominū in omni tempore, semper laus in ore meo.* Et illud Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Item illud I. Thess: 5. *Sine intermissione orate.* Sicut enim habitualiter vel etiam virtualiter loquendo, non desinit meditari in lege Domini, aut orare DEUM & laudare qui nil facit meditationi tali, orationi vel laudi contrarium (hoc ipsum enim habet rationem aliquam meditationis, orationis, & laudis) ita similiter hæc bonorum operum Instrumenta implet nocte diuque, saltem habitualiter aut virtualiter, qui nihil facit contrarium illis. Quod tunc fit, quando sive manducantes, sive bibentes, sive vigilantes, sive dormientes, vel aliud quidpiam facientes, omnia in opus bonum & meritorium convertimus, omnia ad solam solius DEI gloriam ordinando, idque ex vi prædictorum Instrumentorum, puta, ex amore DEI super omnia, &c. Et sic obseruabimus illud etiam, quod Salomon monet Eccl: 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, hoc est, mores candidi:* erunt autem hi candidi, & alio digni calculo, si ad normam prædictarum legum, Canonum, & documentorum, seu (ut S. P. Benedictus vocat) Instrumentorum fuerint omni tempore conformati. Deinde additur, hæc bonorum operum Instrumenta incessabiliter esse adimplenda nocte dieque: id est, perseveranter, usque in finem vitæ. Neque enim satis est ad tempus solum aliquod, nocte dieque incessanter bonis operibus insudare, si non detur in finem usque perseverare: quia scriptum est, non quis inchoaverit, aut qui ad medium usque rem perduxerit, sed qui perseveraverit.

raverit in finem, salvius erit. Et hoc propriè sonat vox illa incessabiliter. Trithemius verò sic explicat voculas illas : nocte diēq; : quod prædicta spiritualis artis opera, seu bonorum operum Instrumenta oporteat adimplere non solum in prosperis, sed etiam in adversis. Sunt enim qui boni sunt, & bene agunt, quāndiu ipli bene est, quāndiu nemo illos lacessit, quāndiu nulla adversitate premuntur. Ast tempora si fuerint nubila, virtus langvet & virtutis exercitium ; piget laborare, & seipsum triumphare. Qui verò fructuosè vult dictis operibus insudare, & juxta mensuram laboris in observatione horum bonorum operum proportionatam recipere mercedem, talēm, qualēm nec oculus vidit, &c. debet ista adimplere & bene agere in omni eventu & omni tempore ; in die prosperitatis, & nocte adversitatis. Verbo : Incessabiliter. Si enim hæc à quocunque Religioso vel quocunque Christiano incessabiliter & perseveranter adimpta fuerint, reservabuntur nobis ad mercedem pro die judicij. Et eodem Judicij die nobis reconsignabuntur & addicentur, tanquam opera nostra, & merita nostra, quibus præmium illud meruimus, quod recipiemus : quale nec oculus vidit, nec auris audivit, &c. Et hic ( NB. Lector benevolus ) hic erit fructus operum tuorum, in Capite

IV. Regulæ S. P. B. præscriptorum, si ea fideliter

& perseveranter impleveris. FIAT. Et

( si hoc solum fiat )

S U F F I C I T.

F I N I S.



# INDEX

## Instrumentorum & Paragraphorum hujus IV. Partis.

- Instrumentum LXVI.* Nullum odire. *Pag.* 1.  
*Instr:* *LXVII.* Zelū & invidiam non habere. *p.* 19.  
*Instr.* *LXVIII.* Contentiones non amare. *p.* 37.  
*Instrumentum LXIX.* Elationem seu jactantiam  
fugere. - - - - *pag.* 49.  
§. 1. Quid sit elatio, & cur fugienda? *p.* 50.  
§. 2. Quibus medijs & signis elatio animi  
deprehendi possit. - - *pag.* 52.  
§. 3. De jactantia & remedijs contra elatio-  
nem & jactantiam. - - *pag.* 57.  
*Instrumentum LXX.* Seniores venerari, juniorēs  
diligere in Christi amore. - *pag.* 72.  
§. 1. De Seniorum veneratione. *pag.* 73.  
§. 2. De juniorum dilectione. *pag.* 78.  
§. 3. Adducitur in Exemplum S. P. Benedict  
& S. Romanus, tum Seniores venerandi,  
tum juniorēs diligendi. - *pag.* 81.  
*Instrumentum LXXI.* Pro inimicis orare. *p.* 89.  
*Instrumentum LXXII.* Cum discordantibus, an-  
te solis occasum in pacem redire. *p.* 99.  
*Instrumentum Ultimum.* Et de Dei misericordia  
nunquam desperare. - *pag.* 113.  
Considerationes pro pusillanimibus & anxijs  
circa prædestinationem, & spiritu despe-  
rationis tentatis. - - *pag.* 130.  
Conclusio seu Epilogus Capitis IV. & totius  
Tractatūs de Instr: honor: oper:. *p.* 139.

*Finis Indicis.*

## ERRATA III. & IV. Partis.

**E**rrata tertiae Partis majoris momenti sit corrigē: Pag. 4. lin. 18. debēbit legē. debēbat. Item lin. ult. ælastor leg. Alastor. P. 5. lin. 6. voluptatem leg. voluptatum. Pag. 7. lin. 15. recutere leg. excutere. Pag. 10. lin. 12. in leg. nū. Pag. 21. lin. ult. Nil. leg. Ni. Pag. 22. lin. 4. quata h. puta. Pag. 25. lin. 22. inimici leg. mimici. Pag. 32. lin. 19. vanitatem leg. vanitatum. Pag. 82. lin. 5. unquam leg. nunquam. Pag. 85. lin. 21. eas leg. ea. Pag. 88. lin. 15. libibini leg. libidini. Pag. 97. lin. 8. spem leg. speciem. Pag. 106. im- paretur leg. imperaretur. Pag. 122. lin. 1. DEI leg. DEO. Pag. 135. lin. 20. omittatur ly his cum suo commate. Pag. 176. lin. 31. raro leg. raro adjectivē.

**E**rrata quartæ Partis. Pag. 2. lin. 26. ali- quando leg. aliquommodo. Pag. 6. lin. 31. sublimitatām leg. sublimitatem. Pag. 47. lin. 28. omnia leg. omni. Pag. 48. lin. 3. capit. leg. ca- ptis. Pag. 66. lin. 17. alatus leg. elatus. Pag. 77. lin. 35. ipsi leg. ipsis. Pag. 93. lin. 10. summa leg. summē. Pag. 97. lin. 30. restuit leg. restituit. Pag. 105. lin. 11. sedenda leg. sedanda. Pag. 110. lin. 17. suscitatur leg. suscitetur.



# APPENDIX AD PARTEM IV.

*De Instrumentis bonorum  
operum.*

## PRÆFATIO.

## AD LECTOREM.

**D**um ultima pars de Instrumentis bonorum operum jam lucem vedit & in lucem prodiit; venit ad me de Clericali Statu Vir quidam eximus, adhortans, ut hunc opusculis & Instrumentorum Indici adiicerem Indicem Concionatorium. Quem laborem & operam putabat futuram multis gratam. Viclus amica persuasione, ultimam operi manum admoveo, & brevem pro temporis brevitate indicem annexo Concionatorium. Ex quo videbis, quam multis Concionibus & Evangeliis tum Dominicarum tum Festorum, quodlibet Instrumentum servire possit; ut si non placeat unum Instrumentum hac vice, hac Dominica, vel festo assumere, possis accipere aliud: aut si non placeat hac vice, possis hoc ipsissimum Instrumentum applicare pro alia vice. Præterea habebis ex hoc Indice insuper hunc fructum, quod is tibi suggeret varias materias & argumenta, de quibus con-

cionem quandam ( quocunque tandem ex libri  
formare possis. Denum servire tibi hic Index pos-  
rit quandoque loco libelli meditationum, reflec-  
do te super Evangelicas Doctrinas, easque pie re-  
minando, quomodo eas liceat in praxin deducere.  
Et certe poteris saltem semel per hebdomadam tu-  
non sine fructu super Evangelium Dominicav-  
festi futuri reflectere, & aliqua vel omnia punc-  
hoc brevi Indice proposita ruminare, aut Instru-  
mentum aliquod desuper legere. Fructum exinde  
non minimum reportabis. Boni consule laborem &  
intentionem bonam lector benevole, & Deum pri-  
me ora.

## Dominica I. Adventus.

**A**Rescentibus hominibus præ timore & expelli-  
tione, que supervenient universo orbi. Vel: Vide  
abunt filium hominis venientem in nube cum po-  
testate magna & Majestate. Luc. 21. Occasione hor-  
rum verborum dicere pro concione poteris, quam  
terribile, adeoque timendum sit judicium divinum.  
Vide Instrum. 44. Parte 2.

*Levate capita vestra, quia appropinquat redemptio  
vestra.* Ibid. Occasione horum verborum prædicare  
poteris, quod tum justi, tum etiam peccatores ad  
Deum conversi, & pœnitentiam agentes, non ha-  
beant, quod timeant appropinquante die judicii, sed  
potius unde gaudeant levantes capita sua intuitu  
meritorum Christi, & redemptionis ejus. Vide dicta  
Instrum. ult. Parte 4. Pag. 119. & seq.

*Scitote quoniam prope est regnum Domini.* Ibid. Reg-  
num cœlorum est optimum & proximum in omni  
adversitate & desolatione solatum; prout per hoc  
Ghi-

Christus solatur mœstos illos Christianos, qui circa diem judicii sunt futuri, perterriti signis præviis: nimurum Scitote quoniam prope est &c. Vide Instrumen-  
tum 46. Parte 2.

*Cælum & terra transibunt, verba autem mea non  
transibunt.* Ib. Deus verax est tum in dicendo, tum in promittendo. Semper verbum Domini manet in æternum; eandem veracitatem amat etiam in homine, & virum constantem in verbis suis. Lege Instrum. 27. Parte 2.

## Dominica II. Adventūs.

**B**eatus qui non fuerit scandalizatus in me. Matt. ii. Christus quia ignominiosa & extrema pro nobis passus est, vel ideo amandus est, & ejus amori nihil præponendum. Vide Part. 2. Instrum. 21.

*Cum audiisset Joannes in vinculis.* Ib. Occasione horum verborum dicere poteris, etiam viris justis, viris sanctis, viris summis, perfectis, & summis Dei amicis non deesse vincula & adversa. Leg. Instrum. 33. Parte 2. scilicet persecutioes pro iustitia sustinendas esse.

*Euntes renunciate Joanni, quæ audistis & vidi-  
sset.* Ib. Christus non voluit Christus (idest missus à Deo) & Filius Dei videri ac dici, nisi re ipsa esset, & testimonium de hoc darent opera ejus: ideoque renunciari voluit Joanni, non quod ipse esset, qui venturus sit, sed opera renunciari voluit, quod cœci videant, claudi ambulent &c. Occasione horum verborum digredi poteris ad Instrument. 63. Parte 3. Non velle dici Sanctum priusquam sit, sed prius esse, quo verius dicatur & id opere demonstrare.

*Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Ib. Ubique in conspectu Angelorum, imo in conspectu Dei ambulamus; hinc ea solum facienda sunt, quæ Divinum vel Angelicum oblectant conspec-

tum; ea verò fugienda quæ obtutum seu divinum seu Angelicum offendere possunt. Instrument. 49. Parte 2.

### Dominica III. Adventūs.

**T**u quis es? Joan. 1. Humilis cognitio sui, sive non esse elatum. Instrum. 69. Parte 4.

*Confessus est, & non negavit.* Ib. Quadrabit Instrumentum 58. Part. 3. Mala sua Domino & Vicario Domini confiteri, juxta conditiones ibi positas.

*Confessus est, qui a non sum ego Christus.* Ib. Veritatem corde & ore proferre. Part. 2. Instrum. 28.

*Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Ib. Toto ferme Evangelio insinuatur humilitas S. Joannis. Agere igitur poteris contra Superbiam, pro quo lege Instrum. 34. Part. 2. & 68. Par. 4.

*Interrogaverunt eum & dixerunt ei: quid ergo baptizas, si tu non es Christus?* respondit eis, ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: *Ipsè est qui post me venturus est.* Ib. Disce hinc bonum Deo applicare, non tibi, malum verò & minus perfectum tibi attribuere, prout baptismum in aqua attribuit Joannes sibi, ast baptismum in spiritu soli Christo. Lege Instrumentum 42. & 43. Part. 2.

Poterit etiam hac hebdomada concio fieri de jejunio propter quatuor tempora in hanc hebdomadam incidentia. Ex Instrum. 13. Pat. 1.

### Dominica IV. Adventus.

**F**actum est verbum Domini super Joannem. Luc. 3. Disce à Joanne, Verbum Dei & lectiones sacras libenter audire. Vide Instrum. 56. Parte 3. Vel pro codem argumento assūme verba illa. *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Ex his verbis colligitur, quam sedulus fuerit Sacrarum lectionum lector vel auditor S. Joannes.*

Venit

*Venit in omnem Regionem Jordanis, prædicans baptismum pænitentiae in remissionem peccatorum.* Ib. Cur in omnem Regionem? nîli quia quæcunque & quantacunque peccata, à quo cunque, & qualicunque loco perpetrata remittuntur & absterguntur per pænitentiam instar baptismi. Ideo quæ ob nullam peccati gravitatem desperandum de Misericordia Dei. Vide Partem 4. Instrum. ultimum pag. 119. & seq.

*Prædicans baptismum pænitentiae.* Ib. Quid requiratur ad pœnitentiam, ut instar baptismi eluat omnia delicta nostra, Vide Part. 3. Instrum. 48.

*Omnis mons &c omnis collie humiliabitur.* Ib. Deus Superbis resistit; adeoque cave superbiam. Parte 2 Instrum. 34. *Non esse superbum.* Item Parte 4. Instrum. 69. *Elationem seu jaçtantiam fugere.*

*Factum est verbum Domini super Joannem in deserto.* Ib. Desertum & solitudo apta est Divinis consolationibus, allocutionibus & visitationibus. Ideoque à Sæculi actibus seu Sælarium consuetudine se facere alienum, est visitationis & conversationis divinæ se facere partipem. Parte 2. Instrum. 20.

**In Vigilia Nativitatis Domini, si  
venerit in Dominicâ.**

**C**um esset desponsata Mater Iesu Maria. Matt. I. Omnis anima per baptismi gratiam desponsata Deo est, unde adulterium committit, quæcunque anima per grave peccatum à Deo se separat, & Cupidini, vel diabolo adhæret. Vide Instrum. 4. Parte I.

*Cum esset justus, noluit eam traducere.* Ib. Habuit suspicionis ( quamvis vanæ & perversæ ) ansam Josephus & simul detractionis, quæ fieri B. Virginis potuisset, Joseph autem cum esset justus, noluit eam apud homines traducere, famam & existimationem imminuere. Lege Instrum. 40. Part. 2.

*Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Ib.  
*Quamvis hoc sciret B. Virgo; idipsum tamen ad sui*  
*defensionem & amoliendam suspicionem suam no-*  
*luit manifestare Josepho, sed spem suam Deo com-*  
*mifit. Lege Instrum. 41. Parte 2.* Item quām fuerit  
*paucorum verborum B. Virgo, & amans silentii, ut*  
*etiam ad sui necessariam defensionem non loquere-*  
*tur. Lege Instrum. 53. Parte 3.*

*Voluit occulte dimittere eam.* Ib. Nec Josephus  
*contra B. Virginem murmurabat, quod grāvida esset,*  
*vel quod causam & originem ei non aperiret; nec*  
*B. Virgo contra Josephum, quod cogitaret occulte di-*  
*mītere illam.* Vide Instrum. 39. *non esse murmuris-*  
*sum.* Parte 2.

## In Nativitate Domini.

**A**nnuncio vobis gaudium, quia natus vobis Salvator. Luc. 2. Causa potissima gaudii & lētitiae nostrae debet esse Salvator, & salus per eum nobis vendicata. Lege Instrum. 46. Part. 2. Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. Ex hoc enim desiderio de salute subsequitur gaudium de Salvatore.

Ascendit autem & Joseph, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore. Ibid. Edicto Cæsaris Augusti ambo se humiliter & observantissimè submiserunt tum B. Virgo, tum Joseph, quamvis Cæsar Ethnicus esset, nec potestatem habens in illos. Disce anima Christiana, omni obedientiâ te subdere Majoni, etiamsi ipse (quod absit) aliter agat. Vide Instrum. 62. Part. 3.

Claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Ib. Si claritas Dei cum mansuetudine ve- nientis in infantia & Nativitate sua sic terruit Pasto- res, quantò magis terribit & terrere debebit pecca- tores claritas Dei, venturi tanquam Judicis cum potes-

potestate magna & majestate? Lege Instrument. 44.  
Part. 2.

Gloria in altissimis Deo, & in terra pax homini-  
bus. Ib. Pace in amar (Princeps pacis Deus) inter ho-  
mines. Vide Part. 2. Instrum. 25. Pacem falsam non  
dare. Item Instrum. 26. Charitatem non derelinquere.  
Item Instrum. 72. Part. 4. cum discordantibus ante  
solis occasum in pacem redire.

## Dominica infra Octavam Nativitatis.

**V**ixerat cum viro suo annis septem à Virginitate  
sua, & hac vidua usque ad annos octoginta qua-  
tuor. Luc. 2. Adeo erat castitatis amans, ut dum  
soluta, & maritata nondum esset, semper Virgo vixe-  
rit, usque ad annos septem, quibus cum Viro vivens  
castitate in conjugalem illibatē servavit. Viro mor-  
tuo iterum in castitate & viduitate permanxit usque  
ad annos octoginta quatuor. Nonne magnus &  
constans fuit in ea castitatis amor, ob quem etiam in  
hodierno Evangelio celebratur & commendatur B.  
Anna filia Phanuel. Vide Instrum. 55. Parte 3. casti-  
tatem amare.

Non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationi-  
bus serviens die ac nocte. Ib. Adeo Deo devota & ora-  
tioni dedita fuit Anna! occasionem habes digre-  
diendi ad utilitatem orationis. Vide Instrum. 57.  
Part. 3. Orationi frequenter incumbere.

Jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte. Ib.  
Occasionem habes dicendi aliquid in laudem jejunii.  
Vide desuper Instrum. 13. Part. 1. jejunium amare.  
Instrum. 36. Part. 2. non esse edacem. Vel Instrum. 11.  
aut 12. Princeps Partis: corpus castigare; delicias non  
amplecti.

Serviens die ac nocte. Ib. Qui servire Deo vult,  
K 4 servir-

servire illi constanter debet, & actus vitæ suæ omni hora, die ac nocte custodire. Vide Instrum. 48. Part. 2.

*Et hac superveniens confitebatur Domino, & lo-  
quebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem  
Israël. Ib. Talis etiam deberet esse discursus noster,  
scilicet de Deo, non de mundo; de rebus divinis, non  
de vanis. Vide Instrum. 52. 53. 54. Part. 3.*

*Et perfecerunt omnia secundum legem Domini. Ib.  
Serviet hoc Instrumentum 64. Part. 3. Præcepta Dei  
factis quotidie adimplere.*

*Puer crescebat & confortabatur, plenus sapientiæ.  
Ib. crescere oportet de die in diem virtute aut virtu-  
tis seu perfectionis studio. Vide Instrum. 38. 5. 1. 2. 3.  
4. Parte 2.*

*Et gratia Dei erat in illo. Ib. Secundum gratiam  
& spiritum oportet ambulare & vivere, non vero se-  
cundum carnem. Vide Instrum. 60. Part. 3. Desideria  
carnis non perficere, sed motus divinae gratiæ: cuius  
motus illic pulchre describuntur ex Mezlero.*

## In Circumcisione Domini.

**U**T circumcidetur puer. Luc. 2. Circumcidii  
Christus voluit, quia sic lex antiqua ferebat,  
quamvis haec eum non ligaverit. Disce multò  
magis Tu Christiane præcepta Dei quotidiè factis  
adimplere, quæ verè te obligant. Vide Instrum. 64.  
Part. 3.

*Ut circumcidetur puer. Ib. submisit se legi &  
obedientiæ, quamvis exceptionem meritò querere  
& prætexere potuisse. Disce Christiane exemplo  
Christi, omni obedientia te subdere Majori: Discant  
inquam servi obedire dominis, filii parentibus, su-  
biti Potestatibus & Majoribus suis. Inst. 62. P. 2.*

*Ut circumcidetur Puer. Ib. Amore nostri cit-  
cumcidi non detrectavit Christus Dominus in tenel-  
la, delicata & Virginea carne sua, ut etiam nos amori-  
Chris-*

Christi nihil præponeremus. Vide Instrum. 21. Part. 2. Amori Christi nil præponere.

*Ut circumcidetur Puer.* Ib. Circumcideti in carne Christus voluit, quamvis id opus non haberet, ut nosmetipſos circumcidemus spiritu ad Christi exemplum & imitationem, scilicet actus à Christiana perfectione alienos abſcidiendo, malos actus præteritos & consuetudines abſcindendo. Vide Instrum. 20. Par. 2. A ſæculi actibus ſe facere al'enum. Item Instrum. 58. & 59. Mala præterita cum lacrymis & gemitu Domino confiteri, & de iplis malis de cœtero emendare.

*Consummati ſunt dies očlo, ut circumcidetur puer.* Ib. Statim in tenera carne, & ætate tenella affligi in carne & corpore Christus voluit, ut doceret te Christiane, quanto minus tu jam adultus & robustus, debas delicias amplecti, ſed potius corpus castigare & in servitutem redigere. Vide Instrum. 11. & 12. Part. 1.

*Ut circumcidetur Puer.* Abnegavit ſemetipſum Christus, & ſequebatur hominem peccatorem, qui ex lege ſe debebat ſubmittere circumcisioni; in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, circumcisus ut homo; quaſi purus homo & peccator eſſet, indigenſ tali remedio circumcisionis. Disce Christiane, etiam abnegare temetipſum & vice versa ſequi Christum. Vide Inſtrum. 10. Par. 1.

## In Vigilia Epiphaniæ, ſi venerit in Dominica.

**D**efuncto Herode ecce Angelus Domini apparuit in ſomni Joseph. Matt. 2. Si tam cito Herodes ſe moriturum cogitasſet & regno priuandum, nunquam ita pro conservatione regni, in innocentes & Christum debacehatus fuifſet. Injeſſet profeſſō tyrannidi frœnum tam brevi ſecutu-

ræ mortis memoria. Ut igitur Christiane in officio continearisi, disce mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Instrum. 47. Par. 2.

*Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: surge. Ib. In somno apparuit, & somnolentiam excusit Angelus, ut doceret nos vigilare & non esse somnolentos. Vide Instrum. 37. Par. 2.*

*Surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & vade in terram Irael. Ib. Deus non derelinquit suos, sed in tempore solatur & juvat afflictos. Semper ergo oportet spem suam Deo committere, exemplo Josephi & Virginis Matris Mariæ: Redit enim post nubila Phœbus. Vide Instrum. 41. Par. 2.*

*Defuncti sunt enim, qui querebant animam pueri. Ib. Persecutio si quandoque gravis est, raro tamen longa, multò minus æterna est, quin Dominus in tempore faciat & mittat remedium. Qui querebant animam pueri, ne amplius eam quererere possent, disponente Deo defuncti sunt. Ferendæ sunt persecutio-nes quæ cunque, præsertim quæ innocenter feruntur & propter iustitiam, quæ eti gravis sint, plerumque breves sunt, & dabit Deus his quaque finem. Vide Instrum. 33. Par. 2. Persecutiones pro iustitia sustinere.*

## In Epiphania Domini.

**M**agi ab oriente venerunt Jerosolymam dicentes: ubi est ? Matt. 2. Reliquerunt regna & omnes possessiones suas tres Reges, ut sequerentur & invenirent Christum. Tu Christianorum trium Regum exemplo disce abnegare temet ipsum & omnia tua, ut sequaris Christum. Item amori Christi nil præponere. Vide Instrum. 10. Part. 1. Et Instrum. 21. Part. 2.

*Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo. Ib. Causa turbationis erat Superbia vel invidia, quod vellet solus regnare, & alium Judæo-*

Judæorum Regem non admittere vel agnoscere. Ex hac Superbia & invidia ortum suum habebat tyranus, Strages Innocentium, ac interitus ipsius Herodis. Vide Instrum. 34. Part. 2. non esse superbum. Item Instrum. 67. Part. 4. Zelum & invidiam non habere.

*Interrogate diligenter de puerō, ut & ego veniens adorem eum.* Ib. Ecce mel in ore, fel in corde! verba lactis, fraus in factis. Herodianum est, mel in ore & dolum in corde tenere, aut pacem falsam dare; ac proinde qui Christianus es, nec Herodianus esse vis, hæc vitia fuge. Vide Instrum. 24. & 25. Part. 2. *Dolum in corde non tenere: pacem falsam non dare.*

*Ut & ego veniens adorem eum.* Ib. En grande Herodis mendacium! quem trucidare cupit, adorare se velle mentitur. Vide Instrum. 28. Par. 2. Veritatem corde & ore proferre.

*Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* Ib. Per aurum charitas, per thus oratio, per myrrham sepultura & mortis memoria, vel corporis mortificatio, & deliciarum fuga ex-primitur; ansam proinde habes vel de charitate erga Deum loquendi Instrum. I. Part. 1. Vel de oratione. Instrum. 57. Part. 3. Vel de memoria mortis. Instrum. 47. Par. 2. Vel de corporis & sensuum præsertim gemitus mortificatione ratione myrræ: Instrum. II. & 12. Part. 1. *Delicias non amplecti:* corpus castigare.

## Dominica infra Octavam Epiphaniæ. Seu I. post Epiphaniam.

**R**quirebant eum inter cognatos & notos & non invenientes regressi sunt in Jerusalēm, requirentes eum. Ib. En Zelum magnum inveniendi Christum! Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo. Qui constanter Deum quærerit, tandem inventis;

nit; ut certò invenias, constanter quæras; & ut constanter quæras, commoda, dulcedinem & utilitatem (quam ex Deo habere & haurire possis) diligenter perpendas; & sic quærendi omnis labor tibi facilis erit. Vide Instrum. 46. Par. 2. Vitam æternam omni concupiscentiâ spirituali desiderare.

Invenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Ib. Disce exemplo Christi Seniores & Doctores sacros venerari, quos audire & interrogare non erubuit Christus duodenus, quamvis ipse doctissimus. Vide Part. 4. Instrum. 70. §. I. Seniores venerari. Item Instrum. 8. Part. I. honorare omnes homines.

*Invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, Ib. Non inter vanos & profanos homines, sed inter sacros Doctores Christus inveniri potuit; ut exemplo ejus disceres à profana societate & seculi actibus te facere alienum, & rebus divinis potius inhaerere. Vide Instrum. 20. Part. 2.*

*Stupebunt omnes qui eum audiebant super prudenter & responsi: ejus, Ib. Talia deberent esse verba & responsa nostra, scilicet prudentia, circumspecta & utilia. De cætero oportet tacere potius & multum loqui non amare; verba vana & risui apta non loqui, sed sacra; præfertim verba malo & pravo eloquio os suum custodire. Vide Instrum. 52. 53. 54. Part. 3.*

*Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Ib. Christus quamvis major esset, voluit subdi Minoribus, ut pro amore Christi disceres omnino obedientiam te subdere Majori. Instrum. 62. Part. 3.*

*Venit Nazareth, & erat subditus illis. Mansuetus forte adhuc libenter Jerosolymis, attamen abdicans voluntatem propriam, acquievit voto & desiderio utriusque Josephi & Mariæ. Descendit enim cum eis (ut desiderabant) in Nazareth, & erat subditus illis. Vide Instrum. 61. Part. 3. Voluntatem propriam odire, & præferre alienam.*

Proficiebat sapientia, ætate & gratia apud Deum & homines. Ib. Proficere oportet jugiter; qui non proficit, deficit; & odibilem se reddit apud Deum & apud homines; quia si tepidus es, nec profectui ferre venter incumbis, nauseam Deo provocas & hominibus. Vide Instrum. 38. Part. 2. de tepiditate & pigritia spirituali.

## Dominica II. post Epiphaniam.

**N**uptiae factæ sunt. Joan. 2. Spiritualis nuptiae sunt inter Christum & animam Christiani. Hinc adulterium committit, qui à Christi amore se alienat, & amorem in quamcunque creaturam transfert. Vide Instrum. 4. Part. 1.

*Vinum non habent.* Ib. In defectu vini fuerant tamen nuptiales convivæ contenti & consolati. Disce non esse vinolentum. Instrum. 12. P. 1. 35. Par. 2.

*Quodcumque dixerit vobis, facite.* Ib. Non est melior & facilior via, impetrandi à Deo, quæcumque volumus, quam si & nos faciamus, quod vult Deus. Ideoque si vis omnia apud Deum posse; memineris præcepta Dei factis adimplere. Instrum. 64. Par. 3.

*Dicit eis Jesus, implete hydrias aqua;* & impleverunt eas; & dicit eis Jesus, haurite nunc. Ib. Quia Ministri prompti erant in obedientia, hanc promptitudinem & obedientiam Christus recompensavit miraculo, aquam in vinum convertendo. Adeo grata Deo obedientia est! Instrum. 62. Part. 3.

*Deficiente vino dicit Mater Iesu ad eum, vinum non habens.* Ib. Disce ab exemplo B. Virginis pauperum Patronum & advocatum agere, & pauperes interventione tua recreare Instrum. 14. Part. 1.

## Dominica III. post Epiphaniam.

**D**omine si vis, potes me mundare. Matt. 8. Prædicare poteris de conformitate voluntatis nostræ cum

cum divina, ut propriam voluntatem discamus odio habere, & voluntatem Dei in omnibus præferre. Vide Instrum. 61. Part. 3. voluntatem propriam odire, etiam quo ad ea, quæ tibi bona aut commoda vel congruentia esse videntur.

*Tetigit eum dicens, volo, mundare. Et confessim mundata est lepra ejus.* Ib. Tam facile Deo est mundare à lepra spirituali, quam fuerit facile illi, duobus verbis mundare à lepra corporali. Vix dixit pauperculus leprosus, *Si vis:* mox subjungit Christus: *volo.* Potes me mundare, dixerat leprosus. Christus: mundare, sive munderis. Pronior aut æque pronus est Christus ad mundandum, quam nos ad rogandum. Roga ut lepram peccati mundet, mundaberis. Igitur nefas est de misericordia Dei unquam desperare. Vide Instrum. 73. Part. 4. pag. 119.

*Vide nemini dixeris, sed vade.* Ib. Ecce quomodo elationem & jactantiam fugarit Salvator! prohibens quidquam dicere de hoc prodigioso facto & miraculo. Vide Instrum. 69. Par. 4.

*Ostende te Sacerdoti, & offer munus.* Ib. Internam lepram oportet Sacerdoti & Spirituali Medico detegere, si vis sanari. Huc proinde serviet Instrum. 51. Part. 3. *Cogitationes malas Seniori spirituali patefacere.* Item Instrum. 58. *Mala sua præterita Domino confiteri.* Quia qui Sacerdoti ea confitetur & detegit, Dominus confiteri censetur. Lege locum cit. pag. 75. *Sed ego.* Et poterunt adferri conditiones, quomodo se porteat ostendere Sacerdoti. Ibidem.

*Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Ib. Spes Deo confusa nunquam confusa recedit. Vide Instrum. 41. Part. 2. *Spem suam Deo committere.*

*Fili autem regni ejicientur in tenebras exteriore;* ibi erit fletus & stridor dentium. Ib. Ne id tibi eveniat Christiane, qui filius vero Ecclesiæ es, & filius regni cœlestis.

cœlestis (regnum enim cœlorum teste Gregorio præsentis temporis Ecclesia dicitur) ut ejiciaris in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium, disse maturè gehennam expavescere, & sic evadere. Vide Instrum. 45. Part. 2.

## Dominica IV. post Epiphaniam.

**A**Scendente Iesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Matt. 8. Christum sequi oportet, qui vult esse Christianus & discipulus Christi. Vide Instrum. 10. Part. 1. Abnegare se met ipsum, ut sequatur Christum.

Item: ascende nte Iesu in Naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Reliquerunt omnia, & omnia postposuerunt, ut Christum sequerentur. Horum exemplo deberet quælibet anima Christiana sic in Christum rapi, ut amori & sequellæ Christi nihil præponeret. Vide Instrum. 21. Part. 2.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ib. Hi motus indicant angustias, afflictiones & animi dolores, quibus saepe affiguntur animæ Christianæ, ita ut tota anima videatur quasi operta fluctibus, & submergenda. His tamen succurrit Deus in tempore opportuno. Vide Instrum. 19. Part. 1. Præsertim §. 10. Quomodo consolandi sint dolentes, quod graves tentationes gravissimerum peccatorum patientur.

Ipse vero dormiebat. Ib. Deus non statim juvat sed juvare quandoque differt, & quali dormire se finit. Juvat tamen in tempore opportuno. Lege Instrum. II. Part. 1. §. 11. Quomodo consolandi sint dolentes, quod agitantur multis scrupulis. His enim quamvis non statim succurrat, forte tempore vitae, succurrit tamen in fine vitae, & facit tranquillitatem magnam. Vide dicta ibidem.

Et suscitaverunt eum disentes, Domine salva nos, perie

*perimus.* Ib. *Invokeare Deum oportet in tribulatione, in angustiis, in necessitatibus, dicente Psalmistā; invoca me in die tribulationis, & eruam te.* Vide *Instrum.* 57. Part. 3. *Orationi frequenter incumbere, quia frequentes sumus in periculis & in necessitate.*

*Dominē salva nos, perimus.* Spem suam Deo committere; Vide *Instrum.* 41. Part. 2.

*Domine salva nos, perimus.* Etiam ubi pereundum jam est, adhuc spes salutis & salvationis habenda est. Vide *Instrum.* 73. Part. 4. pag. 125.

*Et dicit eis Jesus, quid timidi ęstis modice fidei.* Ib. Fiducia habenda in Christum est, quia apud eum misericordia, & copiosa apud eum redemptio ab omni malo. Vide dicta ibidem.

*Imperavit v. ntiis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Ib. Insensibilia clementia obediunt ad nutum Creatori. Quid ni & rationales creature debent multò magis praecepta Dei assidue adimplere. Vide *Instrum.* 64. Part. 3.

*Facta est tranquillitas magna.* Ib. Elementa omnino obedientiā se subdunt Christo; quid ni Christianus pro Christo omni obedientiā se subdat Majori. Vide *Instrum.* 62. Part. 3.

## Dominica V. post Epiphaniam.

**C**um autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & supersemivit Zizania. Matt. 13. Age hic poteris contra somnolentiam, *Instrum.* 37. Part. 2. Item contra pigritiam, praesertim corporalem. *Instrum.* 38. s. 5. Item contra tepiditatem ibidem.

*Cum dormirent homines, venit inimicus ejus, & supersemivit Zizania.* Ib. Oportet actusvitae suæ omni horâ custodire, ne inimicus superveniat, & actus ac merita prioris vitæ per peccatum vel vanam gloriam annihilet. Vide *Instrum.* 48. Part. 2.

*Venit*

*Venit inimicus homo, & superseminavit Zizania. Hic inimicus homo intelligi potest ille, qui nititur saepe hominem à bono retrahere, persequendo illum, quia bonus est. Vide Instrum. 33. Par. 2. Persecutiones pro justitia sustinere.*

*Venit inimicus ejus & superseminavit Zizania. Potest hic nomine inimici etiam adduci diabolus, quia superseminat Zizania, hoc est suggestiones malas, perversas cogitationes & incidentias, quibus ad peccatum pertrahat; ac proinde hic non dormendum sed vigilandum & obviandum illi est. Vide Instrum. 50. & 51. Part. 3. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, aut Seniori Spirituali patefacere.*

*Servi autem dixerunt ei, vis? immis. Ib. En' promptitudinem ad obediendum in his servis. Vis? immis. Vide, quæ de obedientia dicta sunt Instrum. 62. & 64.*

*Colligite primum Zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Ib. Docere hic Prædictor poteris Gehennam expavescere, & vitare peccatorum Zizania, nisi mitti velimus in Gehennam ignis ad comburendum. Vide Instrum. 45. Gehennam expavescere. Parte 2.*

*Colligite primum Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in borreum meum. Ib. Nescis, an inter Zizania, an vero inter triticum computandus sis? & mittendus ad comburendum, vel congregandus in Dei horreum? A Judicio & sententia Dei Judicis id pendet. Disce diem judicii timere & ad illud te parare. Vide Instrum. 44. Part. 2.*

## Dominica VI. post Epiphaniam.

*Simile est regnum calorum grano sinapis. Matt. 13. Christianus volens intrare regnum cœlorum, humiliare se debet & fieri sicut parvulum granum*

num sinapis, quod minimum est omnibus seminibus. Cum autem creveris, & exaltatus ad cœlum fueris, major eris omnibus superbis. Vide quæ dicta sunt Instrum. 34. Part. 2. & Instrum. 69. Part. 4. contra superbiam & elationem.

*Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Granum sinapis in se amarum est. Multa adversa & amara sustinenda sunt, ut mereamur intrare regnum cœlorum. Vide Instrum. 10. Par. 1. abnegare enim operet seipsum, ut sequatur Christum, quod sanè amarum est. Oportet corpus castigare. Instrum. 11. Delicias non amplecti. Instrum. 12. Vide per decursum Instrumenta singula, quæ in hanc rem servire possunt sive quæ amaritudinem aliquam in se continent, ut est inimicos diligere, voluntatem propriam edire, &c. Dulcia cœli non meruit, qui hæc non prægustas amara,

*Simile est regnum cœlorum fermento.* Ib. fermentum res insipida & amara est; reddit tamen panem dulcem & sapidum. Sic quæ amara & difficilia sint in via virtutis, conciliant tamen cœli gloriam, habentem omnem dulcedinem & omnis saporis suavitatem. Tale fermentum insipidum & amarum vide ri potest Instrumentum 29. Par. 2. *Malum pro malo non reddere.* Instrum. 30. *injuriam non facere, sed fratrem patienter sufferre.* 31. Inimicos diligere. 32. Maledicentes non remaledicere, sed magis benedicere. 33. Persecutiones pro justitia sustinere, &c. Hæc & similia quamvis ardua, aspera & insipida sint. Fermenti instar, attamen virtus quæ inde nascitur & corona, sapida est, dulcis est, perfecta est. Fermentum (quamvis insipidum) facit, ut panis sit sapidus, gustosus, perfectus. ita & virtus consistens in arduo, efficit & perficit cibum gratum Superis.

*Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas; & sine parabolis non loquebatur eis.* Ib. Qui vult Chri-

stò loqui, oret; qui vult, ut sibi loquatur Christus, lectiones sacras libenter audiat aut legat. Orando loquimur Deo; lectiones sacras legendò vel verbum Dei audiendo loquitur nobis Deus. Vide Instrum. 36. Par. 3. *Lectiones sacras libenter audire.*

*Sine parabolis non loquebatur eis.* Ib. per parabolas loquebatur Christus, id est simplici humili loquendi modo & stylo utebatur, fugiendo phrases & verborum ambages, quibus alii conciliare sibi laudem & jactantiam querunt. Disce Christiane à Christo humilitatem in loquendo; & vide, ne in dicendo vanam gloriam secteris vel elationem, prout sunt qui nesciunt, quo ordine, quomodo, qua venustate & nova inventioue proferre verba debeant, ut eloquentes, periti, egregii habeantur. Instrum. 69. Par. 4. Elationem seu jactantiam fugere.

## Dominica Septuagesimæ.

**E**xistit primo mane conducere operarios in vineam suam. Matt. 20. *Primo mane NB.* Disce non esse somnolentum Christiane in vinea Christi. Non sit tibi vanum mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus. Vide Instrum. 37. Par. 2. *Non esse somnolentum.*

*Vidit alios stantes in foro ociosos.* Ib. Stantes in foro & ociosi sunt illi Christiani, qui aliquem forte virtutis gradum adepti, stant ociosi, nec promovent virtutis gradum sed tepescunt. Vide Instrum. 38. usque ad §. 5. *Parte 2.*

*Quid hic statis tota die ociosi?* Ib. Christianum non decet ociosum esse, quia otium pulvinar diaboli est. Vide Instrum. 38. Par. 2. §. 5. *De otio fugiendo.*

*Voca operarios, & redde illis mercedem.* Ib. Qui non operatur, non manducet, inquit Apostolus; Qui non operatur, non vocatur ad mercedem. Vis mercedem Christiane à Christo accipere, operare jugiter

in vinea Christi, jugiter deditus esto bonis operibus.  
Stude Praecepta Dei factis quotidie adimplere. Instrum.  
64. Par. 3. Sic bonum operarium ages, & mercedem  
recipies.

*Cum venissent, qui circa decimam horam venerantur,  
acceperunt singulos denarios. Ib. Qui sero venit, modo  
tamen serio labore, non frustrabitur labore & mer-  
cede sua. Vide Instrum. 73. Quanta sit Dei misericor-  
dia, de qua proinde nunquam desperandum sit.*

*Venientes autem primi, arbitrati sunt, quod plus  
essent accepturi, acceperunt autem & ipsi singulos denar-  
rios. Ib. Non quamdiu, sed quam bene serviamus  
Deo, interest. Consummatus in brevi potest explere  
tempora multa (quibus forsitan ante ociabatur) &  
lucrari mercedem magnam in cœlo. Vide Instrum.  
cit. De misericordia Dei nunquam desperare.*

*Acceperunt autem & ipsi singulos denarios, & at-  
cipientes murmurabant; dicentes, hi novissimi una hora  
fecerunt, & pares illos nobis fecisti? Ib. Quid non potest  
invidia? Disce Zelum & invidiam non habere. In-  
strum. 67. Par. 4. Item murmurationem fugere.  
Par. 2. Instrum. 39.*

*Tolle, quod tuum est. Ib. Nihil nostrum est, nisi  
peccatum. Cetera omnia non nisi bona & dona Dei  
sunt. Tolle & destrue peccatum, hoc enim tuum erit.  
Mala præterita Domino confitere, & de ipsis malis de-  
cetero te emenda. Vide Instrum. 58. & 59. Par. 3.*

*Volo autem & huic novissimo dare, sicut & tibi;  
aut non licet mihi, quod volo facere. Ib. Oportet volun-  
tatem propriam odire, & illam submittere perfectè  
voluntati divinæ. Vide Instrum. 61. Par. 3.*

## Dominica Sexagesimæ.

**A**Liud cecidit in terram bonam, & ortum fecit  
fructum centuplum. Luc. 8. Semen cadens in  
terram bonam est quodlibet opus bonum, ca-  
dens

dens in animam justi; seu in statu gratiae elicita. Hoc in anima justi ortum, facit fructum centuplum. Quid verò facit ieminate, laborare, sedare agricolam, nisi spes centupli fructus? Eadem spes ergo faciat Christicolum bonis jugiter operibus infudare, quia centuplum recipiet & vitam æternam possidebit. Vide Instrum. 46. Par. 2. Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. Item Instrum. 73. Par. 4. pag. 115. quod per spem præmii inducatur homo ad observantiam præceptorum.

*Qui habet aures audiendi, audiat.* Ib. Huc quadrabit Instrum. 56. Par. 3. Lectiones sacras libenter audire.

*Hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit Verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Ib. Non juvat audire Verbum Dei & eredere, si verbum quod auditur quidem, & creditur, fructum non ferat. Præcepta Dei audire & scire non sufficit. Sed oportet ea factis quotidie adimplere. Vide Instrum. 64. Par. 3.

*Ad tempus credunt, & in tempore temptationis recidunt.* Ib. Non sufficit ad tempus credere, & in tempore temptationis recedere; aliás meritum fidei, quam ad tempus habuisti, perditur, quasi nunquam fuisset. Nec juvat ad tempus bene agere, & deinde actus bonos prioris vitae, novo actu malo pessundare, sed necessaria est actus vitae sua omni hora custodire. Vide I. 48. P. 2.

*A Solicitudinibus, divitiis & voluptatibus vita, euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Ib. Si terrenæ solicitudines, divitiæ & voluptates suffocant animam; Ergo fugiendæ. Fuge solicitudines vanas aut de rebus vanis, & disce amori Christi nil præponere, de cuius solius servitio & beneplacito solicitus sis. Vide I. 21. P. 2. Disce fugere voluptates vitae, Non adulterari; non concupiscere; delicias non amplecti;

desideria carnis non perficere, ne à voluptatibus vi-  
tae suffoceris, ut loquitur Evangelium. Vide I. 4. 6. 8.  
12. P. 1. & I. 60. P. 3.

## Dominica Quinquagesimæ.

**C**onsummabuntur omnia, que scripta sunt per Prophetas. Luc. 18. Felix consummatio, qui omnia consummat, perficit, & implet, quæ scripta sunt in lege Dei! Cum quanto gudio poterit talis in fine vitæ dicere: Consummatum est. Servies Huc I. 64. P. 3. Præcepta Dei factis quotidie adimplere.

Tradetur gentibus, flagellabitur & conspuetur; & postquam flagellaverint, occident eum. Ib. Hæc omnia sustinuit & sustinere voluit pro nobis Christus, ut & nos non detrectaremus persecutio[n]es pati propter Christum. Vide I. 33. P. 2. Item: hæc omnia sustinere voluit amore nostri, ut & nos disceremus amore Ch[risti] nulla adversa formidare, & amori ejus nil præponere. I. 21. P. 2.

Illudetur flagellabitur, conspuetur. Ib. Omnia hæc invicta patientia Christus sustinere paratus est; ut disceres Christiane, mitis esse & patiens: malum pro malo non reddere: injuriam non facere sed factam patienter sufferre. Vide I. 29. & 30. P. 2.

Occident eum. Ib. Occasionem habes inducendi præceptum quintum Decalogi: Non occides. Vide I. 3. P. 1.

Occident eum, & tertia die resurget. Ib. Spe futuræ gloriæ & gloriose resurrectionis libenter sustinuit hæc omnia Christus; illusiones, flagella, conspuitiones, mortem. Qui futuram gloriam considerat, & a se qui desiderat, facile omnes labores & omnia adversa superat. Vide I. 46. P. 2. Vitam aeternam omni concupiscentia spirituali desiderare. Item I. 73. P. 4. pag. 115.

Cecus quidam sedebat secus viam mendicans. Ib.  
Omnes

Omnis mendici Dei sumus. Mendicorum saepe roga-  
re, Christianorum saepe orare est. Qui petit, accipit. Vi-  
de I. 57. P. 3. Orationi frequenter incumbere.

*Quid tibi vis, faciam?* Ib. Ecce quam promptus  
sit Deus ad benefaciendum miseris, clamantibus  
ad se. Disce de misericordia Dei nunquam desperare.  
I. 73. P. 4.

*Fides tua te salvum fecit.* Ib. Spem suam in Christo  
repozuit cœcus iste: fiduciam ad Christum habuit.  
Hæc fides & fiducia seu spes illum salvum fecit. Quod  
si quisque Christianus hujus cœci exemplo noverit  
spem suam Deo committere, ipse quoque salvus erit.  
Vide I. 41. P. 2.

*Sequebatur illum, magnificans Deum.* Ib. Servire  
poterit I. 10. P. 1. Abnegare semetipsum, ut sequatur  
Christum. Sicut & cœcus iste confessim (ut vidit) re-  
liquit omnia, & sequebatur Christum.

*Omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* Ib. Omnis  
laus, benefacta omnia adscribenda Deo sunt; sola  
mala adscribenda nobis. Vide I. 42. & 43. P. 2.

## Dominica I. Quadragesimæ.

**U**T tentaretur a diabolo. Matt. 4. Nec Dei filius  
ab omni tentatione immunis & liber fuit. Po-  
teris aliquid dicere in solatium eorum, qui gra-  
ves patiuntur tentationes & cordis anxietates. Vide  
I. 19. P. 1. 5. 9. 10. 11.

*Cum jejunasset quadragesima diebus.* Ib. NB. Disce  
& doce jejunium amare, præsertim quia haec hebdo-  
mada occurrit quasi duplicatum jejunium ob qua-  
tuor tempora. Vide I. 13. P. 1.

*Dic ut lapides isti panes fiant.* Ib. Tentaturus  
Christum diabolus, a gulæ vitio exorsus est, sciens  
hoc vitio subverti multos. Applica Instrumentum  
36. Non esse edacem. P. 2.

*Tunc assumpst eum diabolus, & statuit eum super*  
L 4 *pinnac-*

*pinuaculum templi, & dixit ei si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te. & in manibus tollent te. Ib. Alteram tentandi occasionem sumpsit ab elatione & jactantia. Hoc proinde vitium ante alia cave. Vide I. 69. P. 4.*

*Dominum Deum adorabis & illi soli servies. Ib. Soli Deo serviendum, non seculo seu mundo; non carni, non diabolo, non sibi. Vide I. 20. P. 2. a seculi actibus se facere alienum. Item I. 60. P. 3. Desideria carnis non perficere. Item: non servire diabolo, sed potius cogitationes malas ab eo suggestas ad Christum allidere. I. 50. P. 3. Non servire sibi, sectando propriam voluntatem, aut desideria carnis perficiendo. I. 60. & 61. P. 3.*

## Dominica II. Quadragesimæ.

**D**uxit illos in montem excelsum seorsum. & transfiguratus est ante eos. Matt. 17. Qui vult Christum transfiguratum videre (& ipse quodammodo in Christum transfigurari) debet seculi turbas fugere, in montem excelsum seorsum transmigrare, a seculi actibus se alienum facere. Vide I. 20. P. 2.

*Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Ib. Quale & quantum erit gaudium, videre faciem desideratam Domini, solis instar fulgentem! quantum & quale gaudium, gloriæ Conditoris affistere, incircumspectum lumen videre! &c. Applica I. 46. P. 2. Vitam eternam omni concupiscentia spirituali desiderare.*

*Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Ib. Lavabis me, inquit Propheta Regius, & super nivem dealbabor. Quodnam verò est mirificum illud lavacrum, quo lotus dealbari etiam homo possit super nivem, & gloriari amictu niveo in oculis Domini? Scilicet, mala sua præterita quotidiè cum lacrymis Domino confiteri & de ipsis malis de cōstero emendare.*

dare. Hoc lavacrum est, quo anima lavari & super ni-  
vem dealbari potest, ut gloria apparens possit in  
conspectu Domini. Applica I. 58. & 59. P. 3. Ait enim  
Scriptura: Si fuerint peccata tua sicut coccinum, ut nix  
dealbabuntur ( si poenitentiam agis) & si fuerint ru-  
bra sicut vermiculus, ut lana alba erunt.

Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.  
Niveo colore gaudet Deus in vestimentis suis. Ni-  
veus color praे omnibus placet oculis Divinæ Ma-  
jestatis. Vestimentum tuum Christiane corpus tuum  
est, quo anima vestitur & circumdatur; si corpus ni-  
veo resplendet castitatis & puritatis colore, tunc  
Deo places, & oculis Majestatis Divinæ. Applica I. 65.  
P. 3. Castitatem amare.

Bonum est nos hic esse. Ib. In conspectu Domini esse,  
in conspectu ejus ambulare & commorari, Deum  
sibi præsentem habere, & ut præsentem considerare,  
semper utile, semper bonum est. Idque ob rationes al-  
latas I. 49. P. 2.

*Si vis faciamus hic tria tabernacula.* Ib. Volebat  
Petrus dicere: non sicut ego volo, sed sicut tu vis.  
Disce à D. Petro Christiane, voluntatem propriam  
odire, & magis in voluntatem divinam resignari.  
I. 61. P. 3.

Tibi unum, Moysi unum, Eiae unum. Ib. Plus de  
aliis fuit sollicitus D. Petrus quam de se. Disce ergo  
Christianæ, exemplo D. Petri Deum diligere plus  
quam Te; & proximum saltem sicut te. Vide I. 1. &  
2. P. 1.

*Ipsum audite.* Ib. Quadrare poterit I. 62. Præ-  
ceptis Abbatis in omnibus obediens. P. 3. Item I. 56.  
Lectiones sacras libenter audire. Quia tunc quasi  
Christus loquitur nobis.

*Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, &*  
*timuerunt valde.* Ib. Si hic timuerunt discipuli ad  
tam amicam allocutionem, quantum timebunt Pec-  
cato-

eatores auditâ severâ Judicis sententiâ. Vide I. 44.  
P. 2. *Diem judicii timere.*

*Præcepit eis Jesus dicens, nemini dixeritis visionem donec filius hominis à mortuis resurgat.* Ib. *Servire poterit I. 69.* P. 4. *elationem seu jactantiam fugere.*

### Dominica III. Quadragesimæ.

**I**N illo tempore erat Jesus ejiciens dæmonium. Luc. II. Dæmonium ejicit, qui cogitationes malas à dæmone suggestas elidit & allidit ad Christum. I. 50. P. 3. Item dæmonem ejicit, qui iram, qui odium, qui invidiam, aut elationem ex animo abjicit; quia virtutia hæc diabolica sunt, & quasi ipse diabolus. Vide I. 22. 23. P. 1. Et P. 4. I. 66. 67. 69.

*E*s illud erat mutum. Dæmonium mutum habere videtur, seu obsessus ab illo; qui aliquid in confessione reticet, nec integrè confitetur. Vide I. 58. P. 3. pag. 71.

*Quidam dixerunt, in Belcebub principe dæmoniorum ejicit Dæmonia.* Ib. *Quid ad hanc injuriam Christus? an verbis vel factis se vindicavit?* Quin potius; ut vedit cogitationes eorum, leniter respondit: *omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Disce à Christo Christiane, malum pro malo non reddere. Injuriam non facere, sed factam patienter sufferre. Maledicentes non remaledicere. &c. Vide I. 29. 30. 32. P. 2.

*Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Ib. Ubi divisio est & dissensio animorum in Communitate in domo &c. ibi desolatio, & nulla benedictio. Vide I. 25. Pacem falsam non dare. Item 26. Charitatem non derelinquere. P. 2. Item I. 62. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire. P. 4.

*Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt cuncta, qua possidet.* Ib. Atrium seu exteriores sensus custodiendi sunt, & sic salva semper erit anima, & in tuto posita. Vide I. 12. P. 1. Delicias non amplesti, praesertim quo ad sensus exteriores.

*Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt cuncta, quæ possidet. Oportet actus vitae suæ omni horâ custodiare, ut in pace sint cuncta (quæ pro tempore possides) honorum operum merita. Vide I. 48. P. 2.*

*Qui non est mecum, contra me est. Ib. Quis quæso vellet contra Christum esse, & non potius cum Christo? Applica I. 21. P. 2. Amori Christi nil præponere.*

*Qui non est mecum, contra me est. Non sufficit, non esse contra Christum, sed debemus insuper esse cum Christo, stare pro Christo, & abnegare nosmetipsos, ut sequamur Christum. Vide I. 10. P. 1.*

*Qui non est mecum, contra me est. Non sufficit non esse contra Christum, & illum non odiare, sed debemus insuper Deum positivè ex toto corde diligere; & Præcepta Dei factis quotidie adimplere. Vide I. 1. P. 1. Item I. 64. P. 3.*

*Cum immundissimus spiritus exierit de homine, dicit: revertar in dominum meum, unde exihi; & sicut novissima hominis illius pejora prioribus. Ib. Non juvat ejecisse dæmonem per peccatorum confessionem, si iterum revertaris ad peccata pristina. Vide I. 59. P. 3.*

*Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Vide I. 56. P. 3. Lectiones sacras libenter audire.*

*Et custodiunt illud. Non sufficit audire verbum Dei, sed oportet illud custodiare, & opere implere. Vide I. 64. P. 3. Præcepta Dei factis adimplere.*

## Dominica IV. Quadragesimæ.

**S**equebatur eum multitudo magna. Joan. 6. Vide Christiane, ut & tu sis & numero & multitudine Christum avidè & vere sequentium. Vide I. 10. P. 1.

*Videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirabantur. Ib. Curæ & cordi Christo sunt infirmi; Quid ni etiam Christiano sint cordi & curæ, ut bonum opus*

opus exerceat visitando & consolando infirmos? Vi.  
de I. 16. P. 1.

*Unde ememus panes, ut manducent hi. Ib. Naturae paucis contenta est. Non erat Christus solicitus de carnibus aut delicatis cibis, ut disceres Christianum non esse edacem sed paucis contentum. Vide I. 36. P. 2.*

*Accepit ergo Jesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discubentibus. Ib. Docet Te Christiane Christus, curam gerere esurientium & famelicorum. Vide I. 14. Pauperes recreare. P. 1.*

*Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, traperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ib. Honores & dignitates expedit magis fugere quam sectari. Huc servire poterit I. 6. P. 1. Non concupiscere honores, dignitates, divitias. Item I. 20. P. 2. à seculi actibus se facere alienum.*

*Cum cognovisset, quod facerent eum Regem, fugit. Ib. En humilitatem Christi! Disce non esse superbum, non elatum, non jactabundum; prout nec Christus jactare se volebat, quod esset aliunde Rex Regum & Dominus Dominantium. Vide I. 34. P. 2. non esse superbum. Item I. 69. P. 4. Elationem seu jactantiam fugere.*

## Dominica Passionis.

**Q**uis ex vobis arguet me de peccato. Joan. 8. Dice ore hoc Christus potuit; ast nemo Christianus. Solus enim Christus omnis peccati expersus est. Christianus vero qui dicit se peccatum non habere, mendax est, teste Joanne. Expedit igitur se peccatorem agnoscere, & mala sua praeterita quotidie Domino confiteri &c. Vide I. 58. & 59. P. 3.

*Si veritatem dico vobis, quare non creditis. Ib. Veritatem corde & ore proferre. Vide I. 28. P. 2.*

*Qui ex Deo est, verba Dei audit. Ib. Lectiones sacras libenter audire. Vide I. 56. P. 3.*

*Non*

*Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu,  
& dæmonium habes.* Ib. Ingens calumnia! Vide I. 7.  
Non falsum testimonium dicere P. 1. Item I. 3. P. 1.  
*non occidere, scilicet gladio linguae.* Item I. 40. P. 2.  
Non esse detractorem. Item I. 52. P. 3. Os suum à malo  
& pravo eloquio custodire.

*Respondit Jesus: ego dæmonium non habeo.* Ib. Mi-  
tis responso! Respondisset alius: vos habetis dæmo-  
nium, vos ex Patre diabolo estis. &c. Sed disce exem-  
plo Christi: malum pro malo non reddere. Injuriam  
non facere, sed factam patienter sufferre. Maledicen-  
tes non remaledicere. I. 29. 30. 32. P. 2.

*Non quero gloriam meam.* Ib. Vanam gloriam, si-  
re elationem & jactantiam fugere. Vide I. 69. P. 4.

*Amen Amen dico vobis.* Ib. Sine juramento con-  
firmabat veritatem Christus; ut tu quoque jurando  
disceres cautus esse. Vide I. 27. P. 2. *non jurare, ne for-*  
*tè pejuret.*

*Si quis sermonem meum servabit, mortem non vi-  
debit in æternum.* Ib. Præcepta Dei factis quotidie  
adimplere stude, & sic mortem non videbis in æter-  
num. Vide I. 64. P. 3.

*Mortem non vidabit in æternum.* Timor mortis  
conducit ad observantiam mandatorum Dei, & ob-  
servantia mandatorum Dei ad vitam æternam. Disce  
ergo Mortem quotidie ante oculos suspectam habe-  
re, & sic mortem non videbis in æternum. I. 47. P. 2.

*Abraham mortuus est.* & Propheta. Ib. Statutum  
est omnibus semel mori? Nec Abraham aut ullus  
Propheta exceptus fuit; Nec tu excipieris. Morien-  
dum est. Ast ubi, quomodo, quando: *Solus Deus scit.*  
Vide Initium. antè insinuatum. Item I. 48. *Actus vitaे*  
*sue omni hora custodire.* P. 2.

*Si ego glorifico meipsum, gloria mea nulla est.* Ib.  
Jactantiam fugere. Vide I. 69. P. 4.

*Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum.* Ib. Vide  
I. 3. P. 1. *non occidere.*

*Iesus*

*Jesu autem abscondit se, & exivit de templo. Ib.  
Disce injuriam non facere, sed factam patienter sus-  
ferre. I. 30. P. 2.*

## Dominica Palmarum.

**D**ominus his opus habet. Matt. 21. Cuivis relin-  
quendum quod suum est. Nec Christus si-  
nam ad se adduci voluit aut permisit. nisi  
sciente & consentiente Domino. Servire poterit I. 5.  
P. 1.

*Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Ib. Mansue-  
tum esse Christianum oportet, exemplo Christi:  
adeoque iram non perficere; iracundiae tempus non  
reservare. Vide I. 22. & 23. P. 2.*

*Sedens super asinam Ib. En Christi humilitatem!  
Disce non esse superbum: elationem & jactantiam  
fugere. I. 34. P. 2. & 69. P. 4.*

*Euntes autem discipuli fecerunt, sicut praecepere a  
Jesu. Ib. Stude & tu praecepta Dei factis implere. Item  
omni obedientia te subdere majori. I. 64. & 62. P. 3.*

## Dominica Resurrectionis.

**V**alde mane una Sabbathorum veniunt ad monu-  
mentum Mar. 16. a Sanctis istis mulieribus dis-  
ce non esse somnolentum, sed mane surgere  
ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigi-  
lantibus. I. 37. P. 2.

*Valde mane una Sabbathorum venient ad monu-  
mentum. Disce a Sanctis mulieribus non molliter ha-  
bere & mulcere corpus, sed mortificare. I. 11. P. 1.*

*Valde mane una Sabbathorum veniunt ad monu-  
mentum. Trahebat scilicet amor Christi, & extrahe-  
bat eas de lecto, abnegantes se & commoditates suas,  
ut invenirent Christum. Disce amori Christi nihil  
præponere, & abnegare temetipsum, ut sequaris Chri-  
stum. Vide I. 21. P. 2. & I. 10. P. 1.*

*Et respicientes viderunt revolutum lapidem.* Ib.  
 Prius erant anxiæ & dicebant: *quis revolvet nobis lapidem.* Ast deinde spem suam committentes Deo, viderunt revolutum lapidem. Vide I. 41. P. 2. spem suam Deo committere.

*Surrexit, non est hic.* Ib. Resurgere oportet cum Christo, & in novitate vitæ ambulare. Vide I. 58. & 59. Mala præterita Domino confiteri, & de ipsis malis NB. de cætero emendare. P. 3.

*Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Ib.  
 Non statim manifestavit se discipulis suis Christus, apprendendo eis, sed distulit apparitionem, ut desiderium eum videndi cresceret, & in præmium desiderii tandem desiderata visio eis obveniret. Vis & tu Christiane videre faciem desideratam Domini, in quam desiderant Angeli prospicere? fac, vitam æternam omni concupiscentia spirituali desideres, habebis, quod delideras. Vide I. 46. P. 2.

## Feria II. Phascae.

**I**psí loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant. Luc. 24. Sermonoster deberet esse de Christo. Vide I. 53. & 54. Par. 3.

*Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem?* Ib.  
 Posset hoc ipsum Christus sèpius ex nobis quærere; qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem? Sermones pravi, vani, impuri &c. Vide I. 52. P. 3. os suum à malo & pravo eloquio custodire.

*Nonne hæc oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam?* Ib. Si Christus pati debuit, Christianus à passione & cruce se eximere non debet, quin potius debeat cum Christo & pro Christo, abnegare se metipsum, aceipere crucem suam & sequi Christum. Vide I. 10. P. 1. Item I. 33. P. 2. Persecutiones pro justitia libenter sustinere.

*Cœgerunt illum dicentes, mane nobiscum.* Ib. Disce  
ab

ab his discipulis Christum super omnia amare, & nihil amori ejus praeponere. I. 21. P. 2.

*Coegerunt illum dicentes, mane nobiscum.* Nihil dulcius, nihil desiderabilius, quam esse cum Christo prout & Paulus cupiebat dissolvi, ut posset esse cum Christo. Disce vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. I. 46. P. 2.

*Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via.* Ib. Eloquium Domini accedit corda nostra. Igitur necesse est lectiones vel exhortationes sacras libenter audire. I. 56. P. 3,

*Surrexit Dominus verè.* Ib. Qui surgit & iterum eadit, non surrexit verè; surgere enim & iterum cedere, est quali non surgere, immò deterius est, quam non surrexisse. Vide I. 59. P. 3 & disce Mala, de quibus surreximus, in futurum cavere, sive de ipsis misericordiis de cœtero emendare.

*Cognoverunt eum in fractione panis.* Ib. Non nisi de pane sit mentio in hoc tractamento Christi & discipulorum; accepit panem, benedixit ac fregit, & porrigit ab illis; & cognoverunt eum in fractione panis. Christus & verus Christianus ac Christiana virtus vel maxime cognoscitur ex mortificatione gulae. Vide I. 35. & 36. P. 2. *Non esse vinolentum: non edacem.*

### Feria III. Paschæ.

**P**ax vobis. Luc. 24. Pacem & dilectionem ad invicem dedit Christus; vis ergo Christianus dici & esse? disce pacem servare, & quidem veram, & charitatem non derelinquere. Vide I. 25. & 26. P. 2. Item I. 72. P. 4.

*Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda vestra.* Ib. Applicari poterit I. 50. P. 3. cogitationes suas mox ad Christum allidere, aut Seniori spirituali patefacere.

*Ego sum, nolite timere.* Ib. Solum peccatum timerit.

mendum est. Hoc si times, non habes quod Deum timas. Vide I. 58. & 59. P. 3.

Obtulerunt ei partem piscis affi, & favum mellis. Ib. Tenue certe convivium. Fuit tamen eo Christus contentus cum discipulis suis, pro carnibus non nisi piscem habentes, & quidem in paschali gaudio. Disce non esse edacem, non murmuriosum. I. 36. & 39. P. 2. præsertim §. 3. de murmurationibus contra cibum & potum.

*Necessæ est implere ea, quæ scripta sunt in lege.* Ib. NB. Præcepta Dei factis quotidie adimplere. I. 64. P. 3.

Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis. Ib. Vis Christiane venire post Christum resurgentem, & eum illo olim gloriose resurgere? prius patiaris oportet; abnega temetipsum, tolle crucem tuam & sequere eum. I. 10. P. 1. Item I. 30. & 33. P. 2.

*Prædicari in nomine ejus pœnitentiam.* Ib. Vide I. 58. & 59. P. 3. Quid requiratur ad pœnitentiam.

*Et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Ib. Cur in omnes gentes? Nimirum nulla gens quantumvis perversa excluditur, quin remissionem peccatorum accipere possit, si velit. Vide I. ult. P. 4. De Dei misericordia nunquam desperare.

## Dominica in Albis.

**G**audii sunt discipuli viso Domino. Joan. 20. Quis non gauderet, si Christum videre liceret? Quale gaudium erit olim omnibus Christianis, videre Dominum. Hinc satage vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. I. 46. P. 2.

*Dixit eis iterum: Pax vobis.* Ib. Pacem repetitis vicibus commendat, quia nil magis quam pacem amat. Vide I. 25. & 26. P. 2. Item I. 72. P. 4.

*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Ib. Nullum peccatum irremissibile, si modo illud cum lacrymis vel

gemitu confitearis Domino, & defuturo emendesi.  
I. 58. & 59. P. 2.

*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* In potestate hominis est, ut remittantur nobis peccata nostra. Igitur cave de Misericordia Dei unquam desperare. I. ult. P. 4.

## Dominica II. post Pascha.

**B**onus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Joan. 10. Amori Christi nil præponendum, quia & ipse amori hominum nihil præposuit, sed dedit animam suam pro ipsis. Vide I. 21. P. 2.

*Lupus rapit & dispergit oves.* Ib. Quod lupus inter oves, hoc peccatum est inter opera bona; unicunq; enim peccatum, si illud grave sit, rapit & dispergit omnia opera nostra & merita. Vide I. 48. P. 2. *alio* *vita sua omni hora custodire.*

*Vocem meam audient.* Ib. Idest, quæ bonæ & veræ oves mæ sunt, non expectabunt multas voces & clamores, sed vel ad unicam & primam vocem audiunt me. Obedientia ergo sine mora vel maxime arguit, ex quali ovili sumus, scilicet ex ovili & ovibus Christi. Vide I. 64. P. 3. §. 2. pag. 105.

*Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere.* Ib. Ast quomodo adducentur & adduci possunt peregrinæ oves, ut veniant ad ovile Christi? Audiendo scilicet vocem Pastoris. Disce lectiones sacras libenter audire. I. 56. P. 3.

*Animam suam dat pro ovibus suis Christus.* Ib. quid ni & nos oporteat dare pro Christo animas nostras? Dat autem animam suam pro Christo, qui abnegat se metipsum, ut sequatur Christum; qui se & propriam voluntatem odit, eamque relinquit: & denique qui tota anima Deum diligit. Vide I. 10. P. 1. & 61. P. 3. Item P. 1. L. 1. pag. 12.

Domi-

## Dominica III. post Pascha.

**M**Odicum & jam non videbitis me. Joan. 16. Breves dies hominis sunt, & tota vita ejus nil nisi breve modicum; quo homo vivit, videt, & videtur, & paulo post amplius non comparet imminente morte. Vide I. 47. P. 2. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.

Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis: Ib. Homo magis ansam haberet flendi quam ridendi. Vide I. 54. & 55. P. 3. Verba vana & risu apta non loqui, item risum multum & excussum non amare.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Ib. Spes futuri gaudii praesentem multum alleviat tristitiam. Vide I. 46. Vitam aeternam omni concupiscentia spirituali desiderare, ut vel exinde omnis amaritudo praesens tibi reddatur suavis. P. 2.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. A tristitia ad laetitiam pronus est transitus. Si de peccatis praeteritis tristis & doles, certus esto, quod haec tristitia vertetur in gaudium. Applica Instrum. ult. P. 4. De misericordia Dei nunquam desperare. Item Mala sua praeterita quotidie cum lacrymis Domino confiteri. I. 58. P. 3.

Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Ib. Vide quae de vita aeterna & celi gaudiis dicta sunt. I. 46. P. 2.

## Dominica IV. post Pascha.

**Q**uid vadis? Joan. 16. Cautè ambulare oportet, & semper circumspecte agere, & seipsum rogare, quo vadis? quo iste actus dicit? an ad Deum? an non? Vide I. 48. Actus vitae suæ omni hora custodi.

Ego veritatem dico vobis. Vide I. 28. P. 2. Veritatem corde & ore proferre.

Arguet mundum de peccato, de justitia & de iudi-

*etio.* Ib. Tu priusquam arguāris à Deo de peccato, te ipsum argue, & mala tua præterita quotidie cum lacrymis Domino confitere. I. 58. P. 3.

Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur. Ib. Tu quoque cum loquendum est, quæ ædificationis sunt, loquere; quæ Christus vel Pater cœlestis loquenda suggestit, Vide I. 52. 53. 54. P. 3.

*Ille me clarificabit.* Non seipsum clarificat, sed Spiritus veritatis. Nemo seipsum clarificet. Disci jactantiam fugere. I. 69. P. 4.

*De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ib. Quid habes, quod non accepisti. Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis. Bonum in se aliquod cum viderit Christianus, Deo applicet, non sibi. Miseria vero semper à se factum sciatur. I. 42. & 43. P. 2.

## Dominica V. post Pascha & Feriis rogationum.

**S**i quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis Joan. 16. Vide I. 57. P. 3. de oratione per totum.

*Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Ib. De misericordia Dei nunquam desperandum, utpote quæ petenti semper parata, pulsanti semper est aperta. Vide I. 73. P. 4.

*Petite, ut gaudium vestrum sit plenum, & accipietis.* Ib. nullum gaudium plenum est nisi in Deo & ex Deo. Hanc gaudii plenitudinem & vitam æternam omni concupiscentiâ spirituali desidera. Desiderando enim petis; petendo accipis. Vide I. 46. P. 2.

*Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis.* Ib. Vis amari à Patre cœlesti, ama Christum. Seu disci amoris Christi nihil præponere. I. 21. P. 2.

*Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.* Ib. Exivisti & tu à Patre, missus in mundum; productus enim & educatus

**ex nihilo à Patre, Omnipotente creatore cœli & terræ, in mundum venisti. Quid restat nisi ut exemplo Christi iterum relinquas mundum; à sæculi actibus te faciendo alienum.** Vide I. 21. P. 2.

**Ecce nunc palam loqueris.** Ib. Mirabantur discipuli, quod palam loqueretur Christus. Adco erat taciturnitatis amans. & in palam loquendo rarus! Disce à Christo Christiane, multum loqui non amare. I. 53. P. 3.

**Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.** Proverbia sunt sermones arguti, grati, jucundi. Hos fugiebat Christus, ut exemplo ejus disceres verba vana aut risui apta, aut quæ elationem sapiunt, non loqui. Vide I. 54. P. 3.

**Nunc scimus, quia scis omnia.** Ib. Id ipsum scire & tu Christiane deberes, quod Deus sciatur omnia. Vide I. 48. P. 2. In omni loco Deum se respicere pro certo scire.

## In Ascensione Domini.

**E**xprobavit incredibilitatem eorum, & duritiam cordis. Mar. 16. nihil durius & intolerabilius in peccatore est, quam cordis durities, dum se peccasse agnoscit, nec tamen quod male fecit, retractat. Vide I. 58. & 59. P. 3.

**Exprobavit incredulitatem eorum & duritiam cordis.** Ib. Tu si vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum. Disce lectiones sacras libenter & cum fructu audire. I. 56. P. 3.

**Exprobavit incredulitatem eorum & duritiam cordis.** Obedientia sine mora Deo grata est; qui vero duro, sunt corde, non sunt apti Religioni & regno Dei. I. 62. P. 3.

**Exprobavit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.** Increduli quodammodo & duro corde sunt, qui sciunt voluntatem Domini & præcepta Dei, nec

tamen faciunt, quod faciendum est. Disce Precepta  
Dei factis adimplere. I. 64. P. 3.

*In nomine meo dæmonia ejicient. Dæmonem ejici-*  
*vit, qui cogitationes malas à dæmone suggestas rejici-*  
*vit & allidit ad Christum. Vide I. 50. & 51. P. 3.*

*Linguis loquentur novis. ib. Linguis novis lo-*  
*quuntur, qui affueti malis & pravis eloquiis, conan-*  
*tur os suum posthac à malo & pravo eloquio custo-*  
*dire; aut affueti multiloquio, student nunc multum*  
*loqui non amare: vel certè qui affueti verbis vanis*  
*& jocofis, conantur se corrigere, & verba vana ac ri-*  
*sui apta non loqui. Vide I. 52 53 54. P. 3.*

*Serpentes tollent. Ib. Qui iram & odium tollit de-*  
*pectore suo, serpentem tollit. Est enim serpentum*  
*vitium ira & odium. Vide I. 22. & 23. P. 2. & I. 66.*  
*P. 4.*

*Si mortiferum, quid biberint, non eis nocebit. Ib.*  
*Mortiferum quid bibere est corpus mortificare. Non*  
*nocet sed prodest ad vitam, discreta & Religiosa cor-*  
*poris mortificatio. Vide I. 11. P. 1.*

*Super agros manus imponent, & bene habebunt. Ib.*  
*Serviet I. 16. P. 1. Infirmitum visitare.*

*Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ser-*  
*monem confirmante. Ib. Quid enim aliàs facere aut ef-*  
*ficere potuissent, nisi Domino cooperante, sine quo*  
*nihil possumus. Disce, bonum semper adscribere Deo,*  
*malum tibi. I. 42. & 43. P. 2.*

## Dominica infra octavam Ascensionis.

**M**ittam vobis à Patre Spiritum veritatis. Joan. 15.  
Vis, ut inhabitet in te Spiritus veritatis, &  
mittatur ad te amata veritatem & disce eam ex  
corde & ore proferre. I. 28. P. 2.

*Ille testimonionem perhibebit de me, & vos testimo-*  
*nium*

*nium perhibebitis.* Ib. Utique non nisi testimonium veritatis? aliud enim dare non potest Spiritus veritatis. Disce non falsum testimonium dicere. I.7. P.1.

*Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium praestare Deo.* Ib. Vide I.3. P.1. non occidere.

*Hac facient vobis.* Ib. Sed male & pessime facient, quia quod quis sibi fieri non vult, alteri non faciat oportet. Vide I.9. P.1.

*Hac facient vobis, quia non neverunt Patrem, neque me.* Ib. Primus gradus ad omnem malitiam est, non nosse Deum; Disce tu, nosse Deum, sciens quod in omni loco te Deus certò respiciat. Hoc remedium & frœnum est contra mala omnia. Vide I.49. P.2.

## Dominica Pentecostes.

**S**i quis diligit me, sermonem meum servabit. Joan.14. Signum divinæ dilectionis est, præcepta Dei factis adimplere Vide I.64. P.3.

Sermonem quem audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me Patris. Ib. Disce elationem & jactantiam fugere, & bona quæ in te sunt, non tibi adscribere sed Deo. Vide I.69. P.4. & I.42. P.2.

*Hæc locutus sum vobis apud vos manens.* Ib. Quamdiu Deus nobis loquitur & loquentem audimus, apud nos Deus manet. Vis ut tecum maneat Deus, lectiones sacras libenter audi, quia hisce Deus loquitur tibi. Vide I.56. P.3.

*Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ib. Est distinctio inter pacem Christi, & pacem mundi: Inter pacem veram & pacem falsam. Vide I.25. P.2.

*Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Ib. Nihil timendum, nisi peccatum. Vide I.58. & 59. P.3.

*Non turbetur cor vestrum neque formidet.* Ib. Fidere in Christo oportet, & de Dei misericordia nunquam desperare. I. ult. P.4,

*Jam non multa loquar vobiscum.* Ib. Disce multum

cum loqui non amare. Verba vana aut risui apta non loqui. I. 53. & 54. P. 3.

*Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Ib. Ut diabolus veniens ad te, nihil habcat in te, sc̄u non pr̄valeat contra te, disce cogitationes pravas ab eo suggestas mox elidere. I. 50. P. 3.

*Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ib. Disce Christi exemplo exacte implere omnia, quæti bi imponit saera obedientia. Disce item præcepta Dei factis quotidie adimplere. I. 62. & 64. P. 3,

## Feria II. Pentecostes.

**S**ic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Joan. 3. Disce & tu Deum ex toto corde diligere, & ejus amori nihil præponere. I. 1. & I. 21. P. 2.

*Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Disce de Dei Misericordia nunquam desperare, quia amor ejus erga te & totum mundum tantus est. I. ult. P. 4.

*Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ib. Sic diligit quemque Deus, ut non velit perire quenquam, sed omnes habere vitam æternam. Tantum supereft, ut credas & confidas in Domino. I. 73. P. 4.

*Non misit Deus filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ib. Disce in Christo confidere, qui venit salvare, non damnare. I. cit. Pag. 125. & pag. 133. & 134.

*Qui credit in eum, non judicatur.* Ib. Scilicet si fidem operibus tenet. Qui enim dicit se nosse Deum, seu credere in eum, & mandata ejus non custodit, mendax est teste Joanne. Disce & stude præcepta Dei factis quotidie adimplere. I. 64. P. 3.

*Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Ib. Tu ne ambules in tenebris,

nebris, disce sequi Christum. Qui sequitur hunc, non ambulat in tenebris. I. 10. P. 1. Abnegare seipsum ut sequatur Christum.

*Omnis qui male agit, odit lucem.* Ib. tu ne male agas, in conspectu Dei ambula, seu noveris, quod in omni loco te Deus respiciat. I. 49. P. 2.

### Feria III. Pentecostes.

**A**men Amen dico vobis. Joan. 10. Disce veritatem corde & ore proferre; & non jurare, ne forte pejures I. 28. & 27. P. 2.

*Fur est & latro.* Ib. Occasionem habes dicendi contra homicidia & latrocinia. Vide I. 3. P. 1.

*Et oves vocem ejus audiunt.* Ib. Vis inter oves Christi numerari, audi vocem ejus & Vicariorum ejus. Vide I. 56. & 62. P. 3. Lectiones sacras libenter audire, item Praeceptis Abbatis in omnibus obedire.

*Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.* Ib. Abnega temetipsum, & sequaris Christum, si vis inter oves computari Christi. I. 10. P. 1.

*Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.* Ib. Vis intrare ovile hoc sacrum Christi, vis introire regnum cœlorum inter oves Christi, in Christo confide, ipse ostium est, per quem intrare licebit. Vide I. 73. P. 4. pag. 125. 133. 134.

*Ego sum ostium, per me si quis introjerit, salvabitur.* Ib. Vis salvari? eas ad ostium, confuge ad Christum, hic tutò intrare licebit. I. ult. loco cit.

*Fur non venit, nisi ut furetur.* Ib. Contra furta vide I. 5. P. 1.

*Ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.* Ib. Anima Christo dedita ubique invenit pascua. Etiam ipso jejunio pascitur & saginatur anima. Vide I. 13. P. 1. Jejunium amare. Quadrabit hoc argumentum ratione quatuor temporum, in hanc hebdomadam incidentium.

## In Feste SS. Trinitatis.

**E**stote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Luc. 6. Poteris dicere de septem operibus misericordiae, ab instrumento 14. usque ad 19. inclusivè. Si ex Evangelio Dominicæ thema velis accipere.

Ex Evangelio verò festi: *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Disce timere Judicem, quia veniet cum potestate & Majestate magna. I. 44. P. 2.

*Date est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Potestas in Christo est salvandi te; Voluntas item in illo est salvandi te, ideo enim venit: scilicet querere & salvare, quod perierat, quid ergo times & anxius es. Vide I. 73. P. 4. pag. 125. 133. 134.

*Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Ib. Applica I. 64. P. 3. Præcepta Dei factis quotidie adimplere.

*Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus.* Ib. Memineris in omni loco te a Deo respici. I. 49. P. 2.

*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem saeculi.* Disce actus vitae tuæ omni hora custodire, quia coram Deo omnibus diebus, omni hora ambulas. Semper Deus tecum est. I. 48. P. 2.

## In Feste Corporis Christi.

**C**or meum verè est cibus & sanguis meus verè est potus. Quoniammodo os & lingua custodiendæ ab omni pravitate? quæ tali cibo & potu toties reficiuntur. Vide I. 52. P. 3. serviet sancte apposite ad hanc rem totum Instrumentum, si illud legeris.

*Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ib. Disce Vitam æternam omni concupiscentiæ spirituali desiderare, & vel idèo erga Ven. Sacramentum spirituali desiderio ferri; Quia panis iste panis vitæ est. I. 46. P. 2.

Qui

*Qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo.* Ib. Sic Deus hominem diligit, ut velit semper manere in illo, & illum in se: quem propterea etiam proprio corpore & sanguine pascit. *An major charitas esse potest?* Disce etiam Deum ex toto corde diligere, & amori Christi nil praeponere. I. 1. P. 1. & 21. P. 2.

*Dedit pauperibus corporis ferculum, dedit & tribus sanguinis poculum.* Ex hymno Ecclesiæ. Disce exemplo Christi pauperes recreare, dolentes consolari. I. 14. & 19. P. 1.

## Dominica infra octavam Corporis Christi.

**H**omo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14. Occasione horum verborum, seu cœnæ magnæ poteris applicare ea omnia, quæ supra in ipso festo Corporis Christi adducta sunt.

*Pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc.* Ib. Vide I. 14. Pauperes recreare. Quod valde apposite huc servire poterit.

*Domine factum est, ut imperasti.* Ib. Disce ab hoc servo profani Domini, facere ea omnia, quæ imperat Deus, seu præcepta Dei factis quotidie adimplere. I. 64. P. 3.

*Domine factum est, ut imperasti, & adhuc locus est.* Ib. In domo Dei mansiones multæ sunt. Semper adhuc locum invenies, modo imperata Dei facias, & reddere te participem velis cœnæ cœlestis. Vide I. 73. P. 4. de misericordia Dei nunquam desperare. Quia quamdiu vivis, misericordiæ locus est.

*Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Ibid. Deus vult omnes homines salvos fieri. Unde noli de Dei misericordia desperare. loc. cit.

Domi-

## Dominica III. post Pentecosten.

**M**urmurabant Pharisæi & Scribæ. Luc. 15. Tu Christiane, ne cum Pharisæis & Scribis partes habere videaris, noli esse murmuriosus, sed vita inconvenientia murmura. Vide I. 39. P. 2.

*Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Ib. Noli de Dei misericordia desperare. I. 73. P. 4. Tum sane Evangelium exaltat Dei misericordiam, & spem erigit.

*Ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore paucam agentem, quam super nonaginta novem justos.* Ib. Tam grata Deo est pœnitentia de præteritis malis. Igitur pœnitentiam age, & eris gaudio Deo & Superis. Vide I. 58. & 59. P. 3.

*Inveni drachmam, quam perdideram.* Ib. Facile est perdere, quæ parta sunt; ast difficile, perdita invenire. Disce ergo actus vitæ tue omni horâ custodire. I. 48. P. 2.

## Dominica IV. post Pentecosten.

**I**rruerunt in Jesum, ut audirent verbum Dei. Luc. 5. Ecce Zelum audiendi verbi divini. Disce ab his, verbum Dei & lectiones sacras libenter audire. I. 56. P. 3.

*Piscatores autem descendebant & lavabant retia.* Ib. Rete est conscientia nostra, haec assidue discutenda & lavanda est, ut fiat & appareat munda in conspectu Domini. Vide I. 58. & 59. P. 3. Mala præterita cum lacrymis Domino confiteri.

*Rogavit eum à terra reducere pusillum.* Ib. Non oportet terrena sapere, sed cœlestia, qui vult intrare cœlum. Vide I. 20. à Seculi actibus se facere alienum. P. 2.

*Præceptor per totam noctem laborantes nihil capies,* in verbo autem tuo laxabo rete; & cum hoc fecissent,

*Sent, concluserunt piscium multitudinem. Ib. Plus lucratur unico actu verus obediens; quam qui propria voluntate multis annis laborat. Vide I. 62. P. 3.*

*Relictis omnibus securi sunt eum. Ib. Disce amoris Christi nil præponere, & abnegare teipsum, ut sequaris Christum. I. 21. P. 2. & I. 10. P. 1.*

## Dominica V. post Pentecosten.

**N**isi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum & Phariseorum, non intrabit in regnum calorum. Matt. 5. Si Christianus es, noli Pharisæus esse, aut velle dici Sanctus, priusquam sis; sed prius esse, quo verius dicaris. I. 63. P. 3.

*Nisi abundaverit iustitia vestra, &c. Disce justias tuas & actus vitae tue omni hora custodire, ne vana gloria eos de manu tua extorqueat, & meritum annihilet. I. 48. P. 2.*

*Qui occiderit, reus erit iudicio. Ib. Vide I. 3. P. 1. non occidere.*

*Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Ib. Disce iram non perficere; iracundiae tempus non reservare; charitatem non derelinquere. Vide I. 22. 23. 26. 29. 30. 32. 33. P. 2.*

*Qui dixerit fratri suo. Raca; reus erit Concilis. Ib. Disce os tuum a malo & pravo eloquio custodire, non esse detractorem. Vide I. 52. P. 3. & I. 40. P. 2.*

*Reus erit gehenna ignis. Ib. Disce gehennam expavescere. I. 45. P. 2.*

*Si offeras munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. Ib. Disce diligere proximum sicut te ipsum: charitatem non derelinquere; nullum odifice. I. 2. P. 1. I. 26. P. 2. I. 66. P. 4.*

*Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offre-*

offeres munus tuum. Ib. Vide I. 72. P. 4. Cum discorā dantibus ante solis occasum in pacem redire.

## Dominica VI. post Pentecosten.

**T**riduo jam sustinent me, nec habent, quod mandū cent. Mar. 8. Disce à Christo Christiane misericordiā pauperum & famelicorum, eosque pane & subsidio recreare. I. 14. P. 1.

Triduo jam sustinent me, nec habent, quod mandū cent. Disce jejunium amare. I. 13. P. 1. & non esse edacem. I. 36. P. 2.

Triduo jam sustinent me, nec habent quod mandū cent. Disce amori Christi nil præponere, sed abnegare te ipsum, ut sequaris Christum. I. 21. P. 2. & I. 10. P. 1.

Si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via. Ib. Disce pauperes pro viribus recreare, ubi cunque poteris, & commiserationem habere cum illos. I. 14. P. 1.

Accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabant discipulis suis. Disce paucis esse contentum & non esse edacem, aut murmuriosum contra cibum & potum. Vide I. 36. & 39. S. 3. P. 2.

Habebant pesciculos paucos, & illos benedixit, & jussit apponi. Disce paucis contentus esse, & non murmurare. Vide locum paulò antè citatum.

## Dominica VII. post Pentecost.

**A**ttendite à falsis Prophetis. Matt. 7. Vide, ne & tu falsus Propheta sis, dando pacem falsam, vel testimonium falsum; aut false traducendo fratrem & proximum tuum. I. 7. P. 1. I. 25. & 40. P. 2.

Venient ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ib. Vide quæ dicta sunt de falsis fratribus I. 66. & 67. P. 4. nullum odire. Zelum & invidiam non habere. Item Instr. antè cit.

*Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Ib. Ut semper bene agas, time exscindi & in ignem mitti: Sive gehennam expavesce I. 45. P. 2.

*Non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Ib. Factis opus est, non verbis, si vis intrare in regnum cœlorum. I. 62. P. 3. Præcepta Dei factis adimplere.

*Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Ib. Disce voluntatem propriam odire & sequi voluntatem Dei. I. 61. P. 3. voluntatem propriam odire.

## Dominica VIII. post Pentecost.

**E**thic diffamatus est apud illum. Luc. 16. Vide ne diffamator sis vel detractor. I. 40. P. 2.

*Diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Ib. bona sua dissipat, qui illa non custodit omni hora diligenter. Vide I. 48. P. 2. actus vitæ suæ omni hora custodire.

*Redde rationem villicationis tue,* Ib. Vide I. 44. P. 2. Diem judicii timere.

*Jam enim non poteris villicare.* Ib. Omnia tempus habent. Veniet tempus, ubi amplius non poteris operari. agendum igitur est modò, quod egisse vel agere voles, quando amplius non poteris. Vide I. 47. P. 2. mortem quotidie ante oculos suspectam habere.

*Filiij hujus sæculi prudentiores filiis lectis in generatione sua sunt.* Ib. NB. in generatione sua, non in generatione Dei. Qui enim ex Deo nati sunt, à sæculi aetibus se facere alienos debent. Vide I. 20. P. 2.

*Facite vobis amicos de manno iniquitatis.* Ib. Id facies, si pauperes tibi reddideris amicos, pauperes recreando, nudum vestiendo, mortuum sepelendo. &c. I. 14.15.17. P. 1.

## Dominica IX. post Pentecosten.

**V**Idens civitatem flevit super illam. Luc. 19. flevisse saepe, risisse nunquam legitur Christus; & merito; Vide I. 54. & 55. risum non amare. P. 3.

Flevit super illam. Ib. Christus flevit super aliena mala, quid ni tu fleas super tua. I. 58. P. 3. Mala sua quotidie cum lacrymis Domino confiteri.

Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo. Ib. In memoriam revocare poteris angustias mortis, & circumstantem inimicum. I. 47. P. 2.

Circumdabunt te, & coangustabunt te undique. Ib. Disce actus vitæ tuæ omni hora custodire. I. 48. P. 2.

*Domus mea Domus orationis est.* Disce frequens adire templum, & orationi frequenter incubere. I. 57. P. 3.

Eterat quotidie docens in templo. Ib. Non piguit Christum quotidie docere, nec te pigeat lectiones sacras & doctrinas Christianas libenter audire. I. 56. P. 3.

## Dominica X. post Pentecosten.

**C**onfidebant in se tanquam justi, & aspernabantur cæteros. Quadrat I. 63. P. 3. non velle dici sanctum, priusquam sis, sed prius esse, quò verius dicaris.

Confidebant in se tanquam justi. Si justus es, inter confidere non debes, aut tibi adscribere, quod sis iustus, sed Deo. I. 42. & 43. P. 2. Bonum in se cum viderit, Deo applicet. &c.

Aspernabantur cæteros. Ib. Disce neminem aspernari. Quia, quod tibi non vis fieri, alteri nec feceris. I. o. P. 1.

*Jejuno bù in Sabbatho.* Ib. Si hoc facere potuit ex fine vano & vana gloria Phariseus, quid ni idem facias

etiam Christianus propter Deum seu ex fine sancto; scilicet amare jejunium. Vide I. 13. P. 1.

*Decimas do omnium, quae possideo. Disce à Phariseo Christiane, esse liberalis & beneficus in pauperes. Vide I. 14. 15. 17. 18. Pauperes recreare, nudum vestire, mortuos sepelire, in tribulatione subvenire. P. 1.*

*Percutiebat peccatum suum dicens, Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus in domum suam. Ib. Unico pœnitudinis & humilitatis actu obtinuit remissionem omnium peccatorum. Disce de misericordia Dei nunquam desperare. I. 73. P. 4.*

*Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Ib. Disce non esse superbum, non clamatum & jactabundum. I. 34. P. 2. & 69. P. 4.*

## Dominica XI. post Pentecosten.

**A**dducunt ei surdum & mutum, & deprecantur eum, ut imponat illi manum. Mar. 19. Disce ab his, in tribulatione subvenire. I. 18. P. 1.

*Adducunt ei surdum. Misera surditas, si quis ad verbum Dei surdus est. I. 56. P. 3. lectiones sacras libenter audire.*

*Adducunt ei surdum & mutum. Expedit quandoque surdum & mutum esse. Surdum ad sermones malos, pravos, detractorios, & itidem mutum. Vide I. 40. P. 2. Item I. 52. & 53. P. 3.*

*Suspiciens in calum ingemuit. Ib. Quis non ingemiseret in cœlum suspiciens, qui gaudia cœli probè considerat, & vitam æternam spirituali concupiscentiâ concupiscit. I. 46. P. 2.*

*Præcepit illis, ne cui dicerent. Ib. Disce Christians elationem seu jactantiam fugere. I. 69. P. 4.*

*Surdos fecit audire, & mutos loqui. Ib. Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet, & suo tempore obmutescit. Vide I. 53. P. 3. Multum loqui non amare.*

## Dominica XII. post Pentecost.

**B**EATI oculi qui vident, quae vos videtis. *Luc. 10. Vi-*  
tam æternam omni concupiscentiâ spirituali  
desiderare. *I. 46. P. 2.*

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,*  
*& ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. Ib. Vi-*  
*de I. 1. P. 1.*

*Et Proximum tuum sicut teipsum. Vide I. 2. P. 1.*  
**E**t I. 9. quod sibi quis fieri non vult alteri non faciat.

*Incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum*  
&c. *Ib. Vide I. 3. & 5. P. 1.* non occidere, non furtum  
facere.

*Qui etiam despoliaverunt eum. Ib. Vide, ne teip-*  
sum despolies actibus & meritis tuis per novum de-  
meritum & peccatum. Peccata enim latrones sunt,  
despoliantes animam omnibus actibus suis & meri-  
tis. *Vide I. 48. actus vitæ suæ omni hora custodire.*

*Videns eum, misericordia motus est. Ib. Disce mi-*  
sereri pauperum, afflictorum, infirmorum. *I. 15. 16.*  
**I. 18. 19. P. 1.**

*Duxit in stabulum, & curam ejus egit. Ib. Disce*  
specialiter infirmorum gerere curam & eos visitare.  
**I. 16. P. 1.**

## Dominica XIII. post Pentecost.

**O**Ccurrerunt ei decem viri leprosi. *Luc. 17. Lepra*  
animæ peccatum est, ab hac ut munderis, la-  
crymarum affunde aquas *Vide I. 58. P. 3.* Pec-  
cata sua cum lacrimis Domino confiteri.

*Ite ostendite vos Sacerdotibus. Ib. Vide I. cit. pec-*  
cata Sacerdoti confitenda esse. Item *I. 51. P. 3.* Cog-  
itationes malas Seniori spirituali patefacere.

*Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Domini.*  
Ib. Bonum in te cum videris, disce Deo applicare, &  
illi gratias agere. *I. 42. P. 2.*

Domini

## Dominica XIV. post Pentecost.

**N**emo post duobus Dominis servire. Matt. 6. Deo simul & saeculo serviri non potest. Disce a saeculi actibus te facere alienum, si Deo servire vis. I. 20. P. 2.

*Nemo potest duobus Dominis servire. Carni scilicet simul & Spiritui, siue Deo. Disce desideria carnis non perficere, si Deo vis servire & placere. I. 60. P. 3.*

*Fænum agri, quod hodie est, cras in clibanum mittitur. Ib. Disce gehennam expavescere; mortem quotidie ante oculos suspectam habere: actus vitæ tuae omni hora custodire. I. 45. 47. 48. P. 2.*

*Nolite solliciti esse, quid manducabimus, aut quid bibemus. Ib. Vide I. 35. & 36. P. 2. non esse edacem, non violentum. Item non murmuriosum contra cibum & potum. I. 39. §. 3. Item I. 13. P. 1. jejuniū amare.*

*Nolite solliciti esse, quid manducabimus, quid bibemus. Facile solitudinem hanc deponit, qui soli Deo fudit, & spem suam Deo committit. I. 41. P. 2.*

## Dominica XV. post Pentecost.

**I**Bant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa. Luc. 7. Tu quoque Christum sequere ubique; abnegans te ipsum. I. 10. P. 1.

*Defunctus efferebatur, filius unicus matris sua. Ib. Moriendum est omnibus. Disce mortem quotidie ante oculos suspectam habere. I. 47. P. 2.*

*Defunctus efferebatur. Scilicet tradendus sepulture. Vide I. 17. P. 1. Mortuos sepelire.*

*Misericordia motus super eam, dixit illi, noli flera. I. b. Disce a Christo misericors esse, & dolentes consolari. I. 19. P. 1.*

## Dominica XVI. post Pentecost.

**I**ntrauit Jesus in domum cuiusdam principis Pharisaeorum, Sabbatho manducare panem. Luc. 14. NB. panem, non carnes aut delicatos cibos manducare intravit, ut disceres non esse edacem, non murmurare contra cibum & potum, sed paucis & vilibus contentum esse. Vide P. 2. I. 36. Et 39. s. 3. Item I. 13. jejunium amare. P. 1.

*Homo quidam hydropicus erat ante illum, ipse vero apprehensum sanavit illum. Ib. Disce infirmis compati, & eos visitare, in tribulatione subvenire. I. 16. & 19. P. 1.*

*Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. Ib. Disce honorare omnes homines, non verò te ipsum. I. 8. P. 1, Item I. 69. P. 4.*

*Omnis qui se exaltat humiliabitur. Ib. Disce non esse superbum, non elatum & jactabundum I. 34. P. 2. & 69. P. 4.*

## Dominica XVII. post Pentecost.

**D**iligies Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua. Matt. 22. Vide I. 1. P. 1.  
Diligies proximum tuum, sicut te ipsum. Ib., Vide I. 2. & 9. P. 1.

*Quid vobis videtur de Christo? Christus Dei filius, Deus & homo est, sic hominem diligens, ut propter nos homines nostramque salutem de caelis descendet. Disce & tu O homo amori Christi nil praeponere. I. 21. P. 2.*

## Dominic. XVIII. post Pentecost.

**O**ferebant ei paralyticum jacentem in lecto. Matt. 9. Disce infirmum visitare, in tribulatione subvenire &c. I. 16. & 18. P. 1.

*Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ib. Confidea-*

fidendum in Deo est, ipsa fiducia impetrat remissionem peccatorum. Vide J. ult. P. 4. Dei misericordia nunquam desperanda est, qui peccata remisit paralyticus, quamvis remissionem non peteret, sed sanitatem.

*Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Ib. Vide I. 50. & 51. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & Seniori spirituali patefecere. P. 3.

*Quid est facilius? dicere: remittuntur tibi peccata tua; et dicere: surge & ambula.* Utrumque æque facile Deo est. Tam facile peccata dimittit, quam quidquam aliud facit I. 73. P. 4. De Misericordia Dei non desperare.

## Dominic. XIX. post Pentecost.

**S**imile factum est regnum calorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Matt. 22. Nuptiae spirituales sunt inter animam devotam & Christum. Vide anima Christiana, ne has nuptias violes, & peccato te contamines. Vide I. 4. & 12. P. 1.

*Omnia parata sunt, venite ad nuptias;* illi autem neglexerunt & abierunt. Ib. Cur neglexerunt & abierunt? quia quæ parata erant, non fatis animo considerabant, quanta inesset jucunditas, quanta suavitas, quanta utilitas. Vide I. 46. P. 2. Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare.

*Contumelias affectiones occiderunt.* Ib. Vide I. 3. P. 1. Non occidere.

*Ite ad exitus viarum,* & quosecumq; inveneritis, doceate ad nuptias. Ib. Deus vult omnes homines salvos fieri. Unde de misericordia Dei nunquam desperandum. I. 73. P. 4.

*Vidit ibi hominem non vestitum.* Ib. Vide I. 15. P. 1. Nudum vestire.

*Ligati manibus & pedibus mittite eum in tembras*

*bras exteriores.* Ib. Applicari poterit I. 44. vel 45. Diem  
judicii timere : gehennam expavescere. P. 2.

*Ibi erit fletus & stridor dentium.* Ib. Disce risum  
multum & excussum non amare, memor fletus fu-  
turi, quem meruisti. I. 55. P. 3.

## Dominica XX. post Pentecost.

**E**rat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur. Matt.  
18. Vide I. 16. P. 1. infirmum visitare.

*Incipiebat enim mori.* Ib. Homo dum vi-  
vere incipit, mori incipit. Unde debet horam mortis  
quotidie ante oculos suspectam habere, & actus vita-  
suæ omni hora custodire. I. 47. & 48. P. 2.

*Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat.*  
Ib. Disce præcepta Dei factis quotidie adimplere &  
præceptis Abbatis in omnibus obedire. Vide I. 62. &  
64. P. 3.

## Dominica XXI. post Pentecost.

**C**um capisset rationem ponere, oblatus est ei unus,  
qui debebat ei decem millia talenta. Matt. 18. Vi-  
de I. 44. P. 2. Diem judicii timere.

*Orabat eum dicens, patientiam habe in me.* Ib. Mo-  
dica oratio, sed fructus haud modicus. Obtinuit enim  
statim dimissionem totius debiti. Disce orationi fre-  
quenter incumbere & de Dei Misericordia nunquam  
desperare I. 57. P. 3. & 73. P. 4.

*Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam  
rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conservi  
tui.* Ib. Quod sibi quis fieri vult, alteri faciat. Et quod  
sibi fieri non vult, non faciat alteri. I. 9. P. 1.

*Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quo-  
adusque redderet uni versum debitum.* Ib. Disce gehen-  
nam expavescere, ubi omne debitum tam rigidè exi-  
gitur I. 45. P. 2.

*Sic & Pater natus celestis faciet vobis, si non remis-  
serit.*

*ritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ib. Disce libenter offendas remittere, alias nec Deus remittet tuas. Disce iram non perficere, alias & Deus perficiet. Disce iracundiae tempus non reservare, alias & Deus reservabit. Disce malum pro malo non reddere, alias reddet etiam Deus. Disce nullum odire, alias etiam Deus odiet te. Quod tibi non vis fieri a Deo, non facias alteri. Et quod tibi vis a Deo fieri, fac alteri. Vide I. 9. P. 1. Item I. 22. 23. 29. 31. P. 2. Item I. 66. & 72. P. 4.

## Dominic. XXII. post Pentecost.

**C**onsilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone. Matt. 9. Ut capi non possis in sermone, os tuum a malo & pravo eloquio custodi, multum loqui non ama. I. 52. & 53. P. 3.

*Magister scimus qui verax es, & viam Dei in veritate doces.* Ib. Disce & tu verax esse, seu veritatem corde & ore proferre. I. 28. P. 2.

*Reddite, quae sunt Caesaris Caesar, quae sunt Dei, Deo.* Ib. Cuivis suum tribuendum aut relinquendum. Vide I. 5. & 6. Non facere furtum. Non concupiscere.

## Domin. XXIII. post Pentecost.

**F**ilia mea modo defuncta est. Matt. 9. Mortem quotidie ante oculos suspectam habe. I. 47. P. 2.

*Veni & impone manum tuam super eam & vivet.* Ib. Disce ab hoc principe Deum orare sive ad Deum per orationem confugere in necessitatibus tuis. I. 57. P. 3.

*Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Ib. Disce ab hac muliere in Domino confidere & sperna tuam Deo committere I. 41. P. 2.

*Et deridebant eum.* Ib. Cave deridere quenquam. I. 55. P. 3. ubi dixi, vitandum omnem risum, qui videri possit deriso.

*Resurrexit puerus.* Ib. Surgendum & nobis est de somno pigritiae : de morte peccati. Vide I. 38. P. 2.  
Vel : I. 58. & 59. P. 3.

## Dominica XXIV. post Pentec.

**E**rit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, Matt. 24. Timendus & tremendus est dies judicii. Istum time, si nil times. I. 44. P. 2.  
*Tunc plangent omnes tribus terrae.* Ib. Ut non habebas opus plangere tunc, plange nunc peccata tua, & mala præterita quotidie cum lacrymis Domino confiterere. I. 58. P. 3.

Plura in hanc rem Vide Dominica I. Adventus.

## Dominica Dedic. Ecclesiæ.

**Q**uerebat videre Jesum, quis esset. Luc. 19. Vis Jesus videre olim in cœlo cum Zachæo, quære videre eum ; amori ejus nil præpone. Amare amando quære ; quærendo invenies ; imo habebis Jesum in hospitio cordis tui. Vide I. 21. P. 2.

*Præcurrrens ascendit in arborem Sycomorum, ut videret eum.* Ib. Nonne ardens erat in Zachæo desiderium, ut videret Christum; ideo præcurrerit, arborem concendet, laborat, se fatigat, ut quem desiderat, videre Jesum posset. Disce & tu vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. I. 46. P. 2.

*Staturā pusillus erat.* Ib. Pusilli Deum vident. Vis præ aliis & inter alios olim videre Deum, stude pusillus animo seu humilis esse. Fuge elationem & superbiam. I. 34. P. 2. & I. 69. P. 4.

*Suspiciens Jesus vidit illum.* Ib. Oculi Dei sunt causa totius boni, & causa salutis. Vide ut semper in oculis Dei ambules. Vide I. 49. P. 2.

*Zachæus festinans descendit.* Ib. Jubetur descendere non tam de arbore Sycomoro, quam de apice præcognum morum ; & quidem ita, ut amplius non ascenderet.

deret, Descende & tu de pravitate prioris vitæ, in novitate vita ambula: sic salus fiet domini tuæ id est animæ) fiesque filius Abrahæ. Vide I.58. & 59. P. 3.

*Zachæus festinaus descendit;* & festinans descendit. Disce promptitudinem obedientiæ; & præcepta Dei factis implere. I.62. & 64. P. 3.

*Zachæus festinans descendit.* Ib. Festinantes in bono amat Deus; pigros & tepidos odit, nec ad eos divertit. Vide I.38. P.2. præfertim §.I.2.3.4.

*Murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset.* Ib. Facile sumunt ansam murmurandi, (etiam ubi non deberent) qui male voluntatis sunt & libenter murmurant. Vide I.39. P. 2.

*Ecce dimidium honorum meorum Domine do pauperibus,* Ib. Disce à Zachæo erga pauperes esse misericors. I.14.15.18. P.1.

*Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Ib. Disce aliena non rapere, sed restituere I.5. P.1.

*Venit filius hominis querere & salvum facere, quod perierat.* Ib. Zachæus Publicanus erat, imò princeps publicanorum, & ipse dives; cum tamen alias difficile sit divitem intrare in regnum cœlorum. Intravit tamen; intravit in gratiam & amicitiam Christi; intravit in regnum Dei, factus filius Abrahæ. Quomodo? solummodo querendo videre Jesum, quis esset. Si tam facile est, de publicano fieri Christi amicum & hospitem, etiamsi princeps fuerit publicanorum, si tam facile est divitem in regnum cœlorum intrare (qui alias difficile ingreditur) modo divitiis & vita priori abrenunciet? Ergo disce de DEI Misericordia nunquam desperare. Vide Instrum. ult.

P.4.

# INDEX In Festa Sanctorum.

**H**actenus habes Indicem in Dominicali & Festa Domini: Nunc & in Festa Sanctorum do breuem Indicem, qui indicet, quomodo ex his bonorum operis Instrumentis, facile de quoque Sanclo sermonem formare possis.

## In Festo S. Andreæ.

**V**idit duos fratres, mittentes rete in mare; illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Matt. 4. Abnegare oportet scipsum & omnia, ut sequatur Christum. I. 10. P. 1.

*Venite post me; at illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Ib. *Disce in omnibus prompte obedire, & præcepta Dei, vel moitiones & inspirationes divinas incunctanter implere.* I. 62. & 64. P. 3.

*At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Ib. *Retia quibus irretimur, sunt carnis desideria & voluntas propria. Hæc retia Christiane relinque, si vis servare Jesum.* I. 60. & 61. P. 3.

*Relictis retibus secuti sunt eum.* Ib. *Relinque terrena, & a seculi actibus, quibus implicantur & irrituntur mundani, te fac alienum.* I. 20. P. 2.

*At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Andreæ exemplo disce, amori Christi nil præponere, sed potius omnia relinquere, & Christum omnibus deliciis præferre. I. 21. P. 2.

*Ambulans Jesus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres & ait illis, venite post me.* Ib. *Ambulabat iuxta mare, Christus, non ocii causa, sed luero animarum intentus.*

intentus, ut Andream & Petrum vocare posset. *Æmulare hunc Zelum, & disce lucro animarum semper intentus esse, proximumque sicut teipsum amare.* I. 2. P. I.

*Vidit duos fratres Andream, & Simonem fratrem ejus, & ait illis: venite. Ib. Fraternam charitatem habere debemus, ut ad finem vocationis nostræ pertingamus. Vide I. 26. P. 2. Et 66. P. 4.*

*Mittentes rete in mare. Ib. Laboriosi erant & ociositatis inimici. Disce laboriosus esse & semper occupatus, honesto aliquo studio. I. 38. S. 5. P. 2.*

### In Festo S. Nicolai.

**S**anctus Nicolaus adhuc infans, lac nutricie quartâ & sextâ feria a semel dundaxat, idque vesperi sugebat; quam jejunii consuetudinem in reliqua vita semper servavit. Ex Brev. Disce ab infante amare jejunium, corpus castigare. I. 11. & 13. P. I.

*Adolescens parentibus orbatuſ facultates suas pauperibus diſtribuit. Ex Breviar. Disce exemplo Nicolai omnia relinquere, ut sequaris Christum, pauperibus benefacere, quacunque ratione poteris; I. 10. 14. 15. 18. P. I.*

*Cum ejus civis treſ filias ob inopiam prostituere cogitaret, Sanctus Nicolaus noctu per fenestram tantum pecunia iniecit, ut tres ille filiae (pudicitia & honestate servata) deinceps honestis viris in matrimonium dari potuerint. Ex Brev. Castitatem S. Nicolaus non ſolum in ſe, ſed & in aliis conservare ſtuduit. Disce omni modo (exemplo D. Nicolai) castitatem amare, eamque non ſolum in teipſo, ſed & in aliis promovere. I. 65. P. 3.*

*Tempeſtatem horribilem in mari ortam, orans mirabiliter ſedavit. Ecclesiæ frequens adivit, Ex Brev. utiq; ut frequenter oraret. Adeo Deo & orationis ſtudio deditus erat! Disce orationi frequenter incumbeſſe I. 57. P. 3.*

Oppreſſa

*Oppressos adeo sublevavit, ut etiam tres tribunas  
(Imperator i vita apparenſ, eumq; minaciter terrenſ)  
liberaverit: Viduis & orphanis pecuniā, consilio, operā  
non defuit. &c. Ex Breviar. Disce in tribulatione sub-  
venire dolentes consolari &c. I. 14. 18. 19. P. 1.*

*Christianæ fidei veritatem prædicans, ab Imperator-  
um Satellitibus comprehensus & in carcere coniectus  
est. Ex Breviar. Disce veritatem corde & ore proferre.  
Persecutiones pro justitia sustinere I. 28. & 33. P. 2.*

## In Festa Conceptionis B.M.V.

**T**ota pulchra es, & macula non est in te. Cant. 4.  
Nec nodus originalis, nec cortex actualis cul-  
pæ in Mariæ fuit. Puritatem enim omnimo-  
dam amat Deus. Stude ergo lacrymis pœnitentia  
peccata præterita eluere, & futura cavere, ut Deipara  
exemplo sis immaculatus posthac coram Deo, aut  
saltem à maculis gravibus immunis. Stude actus vi-  
tæ tuæ omni horâ custodire, ne macula quædam sub-  
repat, quæ oculos divinæ Majestatis offendat. Vide  
I. 48. P. 2. Item I. 58. & 59. P. 3.

Tota pulchra es! Præservata fuit B. Virgo ab om-  
ni nævo peccati originalis & actualis, eo quod esset  
gestura in utero filium Dei. Quid ni & te Christiane  
oporteat studere puritati oris & cordis, qui eundem  
toties, imo quotidie recipis in Ven. Sacramento Eu-  
charistiae. Vide I. 52. 60. 65. P. 3.

Gloriosæ Virginis Mariæ conceptionem dignissi-  
mam recolamus, cuius Dominus humilitatem respexit.  
Ex Breviar. Humilitas Mariæ à Deo prævisa, causa  
fuit tantæ prærogativæ, ut ab omni labe originalis  
peccati, fuerit præservata. Disce humilitatem à Ma-  
ria, si vis exaltari, & à Domino respici. I. 34. P. 2. Et  
69. P. 4.

In

## In Festo S. Thomæ.

**N**isi videro fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, non credam. Joan. 20.  
Omnes alii discipuli dixerunt: Vidimus Dominum. Solus Thomas negavit. Et dubitare præsumpsit de veritate, quam cœteri testabantur omnes; & ideo in protervum incredulitatis vitium incidit. Periculose errat, & magno se periculo subjicit, qui à communione aliorum sensu & arbitrio recedit. Disce abnegare te ipsum, & non esse obstinatum I. 10. P. I.

*Nisi videro fixuram clavorum &c.* Voluit hoc & non aliud motivum incredulitatis habere & admittere S. Thomas. Quid si verò hoc facere & admittere noluisset Christus? Periisset sanè S. Thomas inhærendo voluntati propriæ. En! quò propria & pertinax voluntas hominem pertraheret! Disce hanc odire & derelinquere. I. 62. P. 3.

*Infer digitum tuum hic, & vide manus meas.* Ib. Tantopere Christus peccatorem diligit! Disce de misericordia Dei nunquam desperare. I. 73. P. 4.

*Respondit Thomas & dixit ei, Dominus meus & Deus meus!* Ib. Errare humannum est; errorem prompte agnoscere & corrigere, hoc Apostolicum, hoc Angelicum est. Si errasti & tu cum D. Thoma, sive in incredulitate sive in alio vitio, disce illicet resipiscere, errorem agnoscere & cum lacrymis seu pœnitudine confiteri Domino I. 58. P. 3.

Dominus meus & Deus meus! Ib. Incredulitatem suam abundè compensavit S. Thomas, credendo & profitendo verum Dominum & Deum suum. Credidit non solum surrexisse Christum, sed esse super Dominum suum, & Deum suum. Quām erat ante incredulus, tam erat deinde fidelis, etiam apud exteris Nationes prædicando hanc fidem. Disce post confessionem & pœnitentiam in contrariis virtutibus

bus te exercere; priora vitia relinquere, & amplius non committere, sed oppositis virtutibus compensa-  
re. I. 59. P. 3.

## In Festo S. Stephani.

**S**epelierunt Stephanum viri timorati. Disce ab his viris timoratis sepelire mortuos, juxta I. 17. P. 1.

*Ecce video cœlos apertos.* Disce & tu cœlos apertos habere ob oculos, seu vitam æternam omni concupiscentiâ spirituali desiderare I. 46. P. 2.

*Et Jēsum stantem à dextris virtutis Dei.* Disce Deum te respicere in omni loco pro certo scire. I. 49. P. 2.

*Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Cur? Nimirum testante Ecclesiâ gaudens suscepit lapides, ut mitteretur accipere coronam gloriæ. Vis ut lapides tibi dulces sint, defige animum in coronam gloriæ. Sive: vitam æternam omni concupiscentia spirituali desideria, eruntque tibi amara dulcia. I. 46. P. 2.

*Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Cur? Amor Christi dulcificat amara. Disce Deum super omnis diligere, & amori Christi nil præponere. I. 1. P. 1. Et I. 21. P. 2.

*Quoties volui congregare filios tuos sub alas, & noluiisti.* NB. Noluiisti, inquit Christus. Idest: tu in crux es. Malum semper sibi imputare homo debet, bonum Deo. I. 43. & 42. P. 2.

*Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui lo- quebatur in Stephano.* Occasione S. Stephani inducit Ecclesia Evangelium S. Matth. c. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, Sapientes, & Scribas.* Et quidem inter Sapientes Stephanum computat S. Hieronymus; ut pote qui novit, quando & qualem debuerat proferre sermonem. Vide, ut & tu sis sapiens: sciens, quando & qualem debebas proferre sermonem. Vide I. 52-53. §4. P. 3.

Lapidaverunt Stephanum, & ipse invocabat Dominum, dicens. Ne statuas illis hoc peccatum. Disce malum pro malo non reddere; injuriam factam patienter sufferre; inimicos diligere; persecutiones pro iustitia sustinere; orationi frequenter incumbere; pro inimicis orare I. 29. 30. 31. 33. P. 2. Et I. 57. P. 3. Item I. 71. P. 4. Omnia haec pro S. Festo Stephani, & pro hoc themate servire poterunt.

## In Festo S. Joannis Evangelistæ.

**H**ic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit haec, & scimus, quia verum est testimonium ejus. Joan. 21. Laudatur Joannes à veritate & testimonio vero. Disce ejus imitatione & exemplo, veritatem corde & ore proferre, & testimonium falsum non dare. I. 7. P. 1. Et I. 28. P. 2.

Vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, qui & recubuit in cena super pedes ejus. Ib. Cur sic diligeret præ aliis Joannem Jesus? Quia specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione eum fecerat dignum, ut loquitur Ecclesia. Virgo electus à Christo, Virgo in ævum permanfit. Vis specialiter à Christo diligi & honorari? Vis Christo cordi esse? ama & cordi habere castitatem. Quò plus castitatem amas aut amabis, tanto plus & tu à Christo amaberis. Vide I. 60, & 65. P. 3. Desideria carnis non perficere; castitatem amare.

Sic eum volo manere, donec veniam. Ib. Non fatus erat S. Joannem usque ad illum diem fuisse justum, castum, sanctum; sed sic eum Christus manere voluit usque in finem. Nimis oportet non tantum incipere, sed constanter bene agere; Præcepta & voluntatem Dei quotidie adimplere. Ib. I. 64. P. 3.

Filioli, diligite alterutrum, quia Præceptum Domini est, & (si hoc solum fiat) sufficit. Ex lect. Secundi Novetur. Disce amare proximum ex corde sicut teipsum, & nullum odire. Hoc si fecisti, sufficit. Applica I. 2. P. 1. & I. 66. P. 4.

## In Festo SS. Innocentium.

**S**urge & accipe puerum. Matt. 2. Surgere de somno  
jubetur Joseph. Id ipsum te quoque juberi puta,  
Est enim somnus corporis & somnus spiritus. De-  
nitroque surgere jubemur. Vide I. 37. & 36. P. 2.

*Qui consurgens accepit puerum.* Ib. En obedien-  
tiam sine mora. Vide I. 62. & 64. P. 3.

*Et erat ibi usq; ad obitum Herodis.* Ib. Si hunc obi-  
tum præcogitasset Herodes, in innocentem sangu-  
inem non sic fæviisset; non sicut terreno regno quali in-  
perpetuum possidendo inhiasset. Tu mortem quoti-  
ter non peccabis. I. 47. P. 2.

*Irratus est valde, & mittens occidit omnes pueros.*  
Ib. Cave iram, quam cavendo plurima mala cævabis.  
Vide I. 22. 23. 24. 25. Quæ omnia applicari poterunt ad  
Herodem. P. 2.

*Occidit omnes pueros.* Ib. Herode deteriores sunt,  
qui tum pueros, tum viros occidunt, sive ferro, sive  
gladio linguae. Vide I. 3. P. 1. Non occidere.

*Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coquinati;*  
Virgines enim permanerunt: ideo regnant cum Deo, &  
agnus Dei cum illis. Ex Breviar. Laudantur quām ma-  
xime SS. Innocentes à Virginitate & puritate, quod  
cum mulieribus non fuerint coquinati, ideoque  
regnare dicuntur cum Deo & agnus Dei cum illis.  
Vis & tu regnare cum Deo? Castitatem ama, mulie-  
res devita. I. 60. & 65. P. 3.

*Innocentium passio Christi exaltatio.* Ex Breviar.  
Si in iustè persecutionem pateris, disce eam pati li-  
benter; quia per hoc Christus exaltatur. qui etiam  
innocens & sine causa passus est multa. Quid enim  
mali fecit Christus? quid SS. Innocentes? Passi tamen  
sunt. Innocentium passio Christi exaltatio est. Imo  
Innocentium passio fuit etiam ipsorum Innocen-  
tium

tium exaltatio. Herodes tantum prodeesse illis non quam potuisset favendo, quantum profuit illis persequendo. Hinc disce persecutioes pro iustitia libenter sustinere, inimicos diligere, pro illis orare. I. 31. & 33. P. 2. Et 71. P. 4.

## In Festo S. Sylvestri.

**Q**uâ hora non putas, filius hominis veniet. Luc. 12. Novum annum incipimus, an etiam eum finituri simus, sicut finimus præteritum, incertum est. Tu ut pro novo anno sancte vivas, eumque sancte decurras, mortem quotidie ante oculos suspectam habe. I. 47. P. 2.

Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenierit vigilantes. Ib. Disce non esse somnolentum, non tepidum. I. 37. & 38. P. 2.

*Si sciret Pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi dominum suum.* Ib. Disce actus vitae tuæ omni hora custodire, ne qua hora non putas, filius hominis veniat. I. 48. P. 2.

Commendatur specialiter S. Sylvester, à benignitate in pauperes, præsertim Virgines; Clericis ditionibus egentes adjungendo; & sacris Virginibus (quæ ad victimum necessaria essent) suppeditando. *Lect. ult. Secundi Noctur.* Disce ab illo castitatem amare, & egentibus succurrere. Vide I. 14. & 18. P. 1. Item I. 65. P. 3.

## In Conversione S. Pauli.

**D**omine quid me vis facere? Act. c. 9. Disce à D. Paulo, abnegare teipsum, & voluntatem tuam, & amori Christi semel agniti nihil præponere. I. 10. P. 1. Et 21. P. 2. Item 61. P. 3.

*E*ter erat ibi tribus diebus & non manducavit, negabibit. Ib. Optima dispositio ad recipiendas illustraciones & gratias divinas est jejunium & abstinenria. Si

¶ Deo vis specialiter illustrari, disce jejuniū amare corpus castigare, non esse edacem, non violentum. I. 11. & 13. P. 1. Item 35. & 36. P. 2.

*Quære in domo Iude Saulum nomine Tharsensis.*  
Ib. Christus ipse peccatores quærerit, & quæri jubet. Jubet Saulum quæri, qui Christum non quæsivit. Saulum ulro quæri jubet, qui adhuc erat spirans ministrum & cœdis in discipulos. Saulum quæri jubet, qui persecutus est Christum, & universam Ecclesiam Dei. Saulum quæri jubet, qui multa mala fecit Sanctis in Jerusalem. Att. 7. Tu Christiane (quocunque ori criminis contaminatus sis) si etiam Christum, si Ecclesiam Dei persecutus es, disce tamen de misericordia Dei nunquam desperare. I. ult. P. 4.

*Quære in domo Iude Saulum, ecce enim orat.* In En quam grata Deo sit devota ad Deum oratio! Dicce orationi frequenter & ferventer incumbere. I. 57. P. 3.

*Vas elecciónis est mthi iste, ut portet nomen meum cor angelis.* Att. 9. Mira mutatio! Ex Saulo Paulus, ex persecutore Christianorum fit Christi annunciator. Disce & tu à Paulo converti per pœnitentiam. Mala præterita Domino confitere, futura emendare & compensa oppositis virtutibus. I. 59. P. 3.

## In Festo Purificationis B. M. V.

*E*xpectans consolationem Israël. Luc. 2. Disce sicut tuum Deo committere, veniet enim consolatio cum tempore. I. 41. P. 2.

*Expectans consolationem Israël.* Simeon plus cordi habebat aliorum comoda, quam propriis. Disce proximum sicut te ipsum diligere. I. 2. P. 1.

*Tulerunt Jesum in Jerusalem,* ut sifterent eum Dominum, sicut scriptum est in lege Domini. Ib. Scravaverunt legem ad litteram, sicut scriptum est. (ut loquitur Deus) quamvis exempti ab hac lege fuissent. Disce à patrenti-

rentibus Christi præcepta Dei adimplere exactè. I. 62.  
& 64. P. 3.

*Sicut scriptum est in lege Domini. Ib. Scriptum est autem in lege Domini: mulier si suscepit semine pererit masculum, &c. Unde exemptionem prætexere potuisset B. Virgo, quæ concepit de Spiritu Sancto. Disce non quærere exemptionem à Regula vel præceptis Abbatis, sed in omnibus obedire. I. 62. P. 3.*

## In Feste S. Matthiæ Apostoli.

**A**bscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulu. Matt. 11. Fieri Apostolum Christi, & participem omnium secretorum cœlestium aliis communicandorum & prædicandorum, quanta dignitas! Sors hæc cecidit super Mattheiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis. Act. 1. Cur quia humilis erat & parvulus in oculis suis. Vis apud Deum aliquid valere? Secreta cœlestia penetra-  
re? Disce non esse superbum, elationem & jaſtantiam fugere. I. 34. P. 2. Et 69. P. 4.

*Disce à me, quia mihi sum. Ib. Mites voluit esse Apostolos & discipulos suos Christus sicut & ipse mihi erat. Vis charus esse Christi Discipulus? disce mihi esse, iram non perficere, iracundia tempus non reser-  
vare; malum pro malo non reddere; maledicentes non remaledicere. I. 23. 23. 29. 32. P. 2.*

*Jugum meum suave est, & onus meum levo. Ib. Cur suave? Quia amanti nil difficile. Disce Deum super omnia amare, & amori Christi nil præponere, ecce omne jugum tibi suave erit. Vide I. 1. P. 1. Et I. 21. P. 2.*

## In Feste S. Josephi.

**I**oseph autem, cum esset vir justus, noluit eam traducere. Matt. 1. Hoc est: noluit eam accusare, diffamiare, in jus vocare, quod esset gravida; noluit id illi obtrudere, cum ea expostulare, murmurare, sed re-

Domino commendata consultius esse putabat, si se  
subduceret, studens honorem conservare Virginis  
Beatae. Disce honorare omnes homines tanquam bonos,  
quamdiu non probantur mali; & non facere alteri  
quod tibi non vis fieri: non esse murmuriosum, non  
esse detractorem, occultos defectus non statim propa-  
lare. I. 8. & 9. P. 1. Item 39. & 40. P. 2.

*Antequam convenirent.* Ib. Servavit etiam in ma-  
trimonio castitatem. Josephus cum B. Virgine, & ideo  
meruit ex divina prævisione fieri Sponsus Matri  
Dei, & Nutritius filii Dei. Vis sublimari apud Deum,  
disce castitatem amare. I. 65. P. 3.

*Voluit occultè dimittere eam.* Ib. Vides, quò S. Jo-  
sephum propria voluntas abduxisset, si eam sicutus  
fuisset! Monitus tamen ab Angelo, ne timeret acci-  
pere Mariam conjugem suam, mox abdicavit pro-  
prium judicium & voluntatem. Disce voluntatem  
propriam odire. I. 61. P. 3.

## In Festo S. P. Benedicti.

*Cce nos reliquimus omnia.* Matt. 19. Potest & po-  
tuit hoc fane cum D. Petro dicere S. Benedictus  
qui verè seipsum expropriando, seipsum abne-  
gando reliquit omnia: Patrem, Matrem, Fratres, So-  
rores, Amicos & contubernales; divitias & possessio-  
nes multas, domos & agros: ac denique se metipsam,  
& omnem affectum habendi. Hoc fecisse S. Benedi-  
ctum satis constat ex vita ejus. Disce ejus imitatione  
pariter abnegare te ipsum Christiane, ut sequaris Chri-  
stum. Disce à seculi actibus te facere alienum, amori  
Christi nil preponere I. 10. P. 1. Item 20. & 21. P. 2.

Denique percurre Instrumentum (quod libet)  
ex omnibus septuaginta tribus horum quatuor  
opusculorum, ubique invenies aliquid pro imitatio-  
ne & commendatione S. P. Benedicti; quomodo in  
omnibus his virtutibus & operibus fuerit exercita-  
tillit-

tissimus. Unde poteris illum à Septuaginta planè virtutibus laudare & commendare.

## In festo Annunciationis B.M.V.

**M**issus est Gabriel Angelus à Deo in civitatem Galilæa. Luc. I. Gabriel vocatur ANGELUS per Antonomasiam, idest Archangelus seu Princeps Angelerum: is inquam mittitur, & facit imperata exactè; non deditur mitti, aut obire hoc munus, sed promptus ad volat ad Virginem, eam reverenter salutat, mandata exponit. Ut vel ab Angelo disceres, nullum humile officium recusare, Voluntatem Superioris & præcepta Dei in omnibus explere. Vide I. 62. & 64. P. 3.

*Ad Virginem de sponsatam Viro.* Ib. Cur ad desponsatam viro? Quia Virginitas & castitas quo major est, eo gratiior & acceptior Deo est. Virginem esse multum & laudabile est; ast Virginem esse in matrimonio, Virginem esse penes Conjugem, Virginitatem servare in conjugio, hoc insolitum & inauditum est. Hinc ad Virginem talem mittitur Angelus, ut eam salutet Matrem Dei. Vis Deo placere, stude castitati. Quo purior & perfectior erit tua castitas, eo charior eris Deo. Vide I. 4. & 6. P. 1. Item 60. & 65. P. 3.

*Dixit autem Maria ad Angelum, quomodo fieri stud.* Ib. Disce in rebus dubiis rem totam cum Viro aliquo Spirituali & perito communicare, atque ejus responso & sententiâ stare. Lege I. 51. P. 3. & hoc applica.

*Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Ib. Cur sic? Cur non potius sic: qui nascetur ex te filius Dei, vocabitur Sanctus? cur prius oportet sanctum esse, quam filium Dei vocari; Nimis ut discas Christiane & Religiose, non velle dici sanctum, priusquam sis, (NB.) sed prius esse, quò verius dicatis. I. 63. P. 3.

*Ecce ancilla Domini. lib. En miram humilitatem  
Matris Dei M̄riæ! Cernens enim, audiensque se  
matrem Dei factam, ac gratia plenam, ancillam se ta-  
men tantummodo vocat. Disce elationem & jactan-  
tiam fugere, superbū non esse, sed humilem corde.  
Sicut enim Deus respexit tantam humilitatem an-  
cillæ suæ, sic & te respiciet. Vide I. 34. P. 2. Et 69. P. 4.*

## In Festo S. Georgii Mart.

**G**eorgius conditione miles, & ob virtutem mi-  
litarem inter Tribunos adlectus, ac etiam Co-  
mitis titulo à Diocletiano honoratus, hos  
omnes tamen honores & favores, Christi amori post-  
posuit. Disce à S. Georgio, amori Christi nil præpone-  
re. I. 22. P. 2.

Videns multos Christianorum ob excessiva  
tormenta à fide inter tormenta resilire, eos confi-  
mabat verbo & exemplo, illis pro posse suo in tribu-  
latione subveniens, & diligens verè proximum &  
Can-Christianos suos sicut seipsum. Emulare hanc  
virtutem Christiane in S. Georgio Christi milite, &  
disce dolentes consolari, tribulatis subvenire, proxi-  
mum sicut teipsum diligere. I. 2. 18. & 19. P. 1.

Diocletiani tyrannidem audacter & palam  
damnavit, quamvis videret se disgratiā incurſu-  
rum, in vincula conſiendū &c. Prout reipſā mox  
in vincula conjectus est. Disce veritatem corde & ore  
proferre, etiamsi propterea disgratiā hominis aut  
pœnam effeſſe incurſurus. I. 28. P. 2.

Georgius in vincula conjicitur, machinâ mu-  
eronibus armatâ dilaniatur, & in viva calce tres dies  
sepelitur, cumq; illiſtior exiſſet, candentes ab igne  
ferreos calceos induitur, immaniter cœditur, alapis  
contunditur, tandem securi caput amputatur. Hæc  
omnia fortiter sustinuit pro justitia, pro fide, pro Deo,  
Disce & tu Christiane, quandoque persecutioſes pro  
justitia sustinere, I. 33. P. 2.

Pridie decapitationis caput ejus in carcere ab ipso Christo fuerat coronatum, donec altero die ad coronam immortalitatis evolavit Anno 290. Quā proinde coronā jam gaudet & fruitur mille quadrin gentis & amplius annis. Tu si ad eandem gloriam vis pervenire, disce pro Christo, pro virtute, pro cœlo viriliter certare; Ut verò viriliter certes, disce vitam æternam omni concupiscentiâ spirituali desiderare. I. 46. P. 2.

Ante ultimam executionem promiserat adhuc Tyrannus S. Georgio, divitias, honores, & secundam ab Imperatoria sedem, si Christum abnegaret, teste Ambrosio. Ast Georgius maluit abnegare scipsum & hæc omnia, quam Christum. Vide I. 10. P. 1.

## In Feste SS. Philippi & Jacobi.

**N**on turbetur cor vestrum, neq; formidet. Joan. 14.  
Vide, quam blandè & benignè Christus consoletur Discipulos de orbitate & dispersione sua contristatos, ut & tu Christiane disceres, alios in desolatione sua consolari. V. de I. 19. P. 1.

Ego sum via. Ib. Via Christus est, hanc viam tene, hanc sequere; nunquam errabis. Alias vias declina, solum Christum sequere, abnega te ipsum. Vide I. 10. P. 1.

Ego sum Veritas. Ib. Veridicos & veritatem amat eterna veritas Deus, econtra disperdit & odit omnes, qui loquuntur mendacium. Disce veritatem corde & ore proferre, falsum testimonium non dicere. Tantum enim à Deo recedis, quantum à veritate. Vide I. 7. P. 1. Et 28. P. 2.

Dicit ei Philippus, Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Ib. Aliud aut plus non desiderat Philippus, quam videre Patrem. Et rectè: quid enim plus desiderare posset, quam tandem videre faciem desideratam Domini, quam modò videt facie ad faciem.

Disce

Disce & tu vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare ; hanc si serio desideras , habebis quod desideras . I. 46 P. 2.

*Quò ego vado scitis, & viam scitis.* Ib. Non aliâ viâ Christus venit ad cœlum , quâm per viam crucis : operuit Christum pati , & ita intrare in gloriam suam . Disce ergo libenter adversa pati , adeoque malum pro maior non reddere ; injuriam factam patienter sufferre ; maledicentes non remaledicere , persecutioes pro justitia sustinere . I. 29. 30. 32. 33. P. 2.

*Tanto tempore vobiscum sum & non cognovistis me.* Ib. Vix triennio fuerant hiboni discipuli cum Christo , & tamen hoc trium annorum tempus tanquam longum reprobat Christus , quod intra hoc tempus non magis profecissent . Nonne forte & tibi dicet : tanto tempore tecum es , tanto tempore seu tot annis Religionem aut Christi fidem professus ; & non melius profecisti ? mores Religiosos & Christianos nondum induisti . Time hanc objurgationem a Christo , & stude indies proficere . Vide I. 38. §. 1. 2. 3. 4. P. 2.

*Pater autem in me manens , ipse facit opera .* Ib. Disce , bonum quod in te est , non tibi adscribere , sed Deo . I. 42. P. 2.

*Quocunque petieritis Patrem in nomine meo , hoc faciam .* Ib. Vis ut multa & magna ( hoc vel illud ) tibi faciat Christus , pete ; & disce orationi frequenter incumbere . I. 57. P. 3.

## In Festo Inventionis S. crucis.

**N**isi quis renatus fuerit denuo , non potest videre regnum Dei . Joan . 3. Quomodo vero potes renasci denuo , nisi exuendo veterem hominem & induendo novum , sive abnegando te ipsum & secundo Christum : Item mala præterita lacrymis eluendo , & de ipsis malis imposterum emendando . Vide I. 10. P. 1. Item I. 58. & 59. P. 3.

*Quod*

*Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Ib. Tu quis es? ex carne vel ex spiritu? Non sumus ex carne, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixerimus, moriemur. Qui autem spiritu facta carnis mortificaverit, vivet. Disce corpus castigare, delicias non amplecti, desideria carnis non perficere. I. 60. P. 3. Item I. II. & 12. P. 1.

*Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Ib. Ante ascensum descensus presupponitur & prærequisitur. Vis ascendere ad cœlum; prius descende, te humilia, te abnega. Quo profundius descenderis, ascendes altius. Vide I. 34. P. 2. Et 69. P. 4.

*Ex altari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ib. Disce de misericordia Dei nunquam desperare. Crede in Christum viva fide. Non peribis, sed vitam æternam habebis. I. ult. P. 4.

## In Nativitate S. Joannis Baptist.

**I**n eis natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Luc. I. Et tamen nemo erat Joanne humilior, afferens se non esse nisi vocem in deserto clamantis: non esse dignum solvere corrigiam calceamentorum Christi. Quò major es, tanto magis te humilia in omnibus. Vide I. 34. P. 2. Et 69. P. 4.

*Vinum & siceram non bibet ex utero matris sua.* Ib. Disce delicias non amplecti, nec esse vinolentum. I. 12. P. 1. Et 35. P. 2.

*Locustas & mel syrve stre edebat.* Ib. Disce jejunium amare. Non esse edacem. I. 13. P. 1. Et 36. P. 2.

*Scripsit dicens, Joannes est nomen ejus.* Ib. Joannes interpretatur gratiâ Dei. Voluit innuere Zaharias Pater ejus (repletus Spiritu Sancto) Joannem non nisi gratiâ Dei esse id quod est. Ut disceres, quidquid in homine boni est, totum divinæ misericordiæ & gratiæ adscribendum esse. Vide L 42. P. 2.

Zacharias Pater ejus repletus est Spiritu Sancto. Ib.  
Laudatur Zacharias, quod prophetaverit, quod replete-  
tus fuerit Spiritu Sancto, quod cum uxore sua Elise-  
betha fuerit justus ante Deum, incedens in omnibus  
mandatis & justificationibus Domini sine querela.  
Quomodo? Quia Zacharias interpretatur memoria  
Dei. Vide, ut & tu filius Zacharia sis, & jugiter Dei  
memineris. Hoc si feceris, justus eris. Incedes in om-  
nibus mandatis & justificationibus Domini sine  
querela. Froba & fac experimentum. Vide I. 49.  
*Deum in omni loco se respicere pro certo scire.* P. 2.

## In Festo SS. Petri & Pauli.

**C**aro & sanguis non revelavit tibi sed Pater meus,  
qui in celo est. M. tt. 16. Magnum donum do-  
num fidei! Agnovit Petrus Christum esse non  
solum hominem, sed filium Dei vivi. Hanc agnitio-  
nem ne sibi Petrus adscriberet, monetur a Christo,  
quod a se ipso hanc agnitionem non haberet, nisi cu-  
ei d'ata esset desuper. Disce bonum quod in te est, sem-  
per Deo adscribere, non tibi. I. 42. P. 2.

Petri ausem & Joannis ascendebant in templum  
ad horam orationis nonam. Act. 3. Disce exemplo S. Pe-  
tri, oratione frequenter incubere, quia ea tibi non  
minus (sed utique magis) quam Petro est necessaria.  
Vide L. 57. P. 3.

Viri Iudaici, quid admiramini in hoc, aut nos  
quid insuemini, quasi nostra virtute & potestate feceris  
mihi hunc ambulare, &c. Lege totam lectionem ultir-  
iam primi Nocturni, Act. 3. & disce bonum, (quod  
in te est) Deo applicare, non tibi. I. 42. P. 2.

Simon Joannis diligis me plus his? Tu scis Dominum  
quia amo te. Disce a S. Petro Deum amare, & amori  
Christi nil preponere, quem S. Petrus opere demon-  
stravit, moriendo pro Christo & fide Christi. I. 1. P. 1.  
Et 21. P. 2.

*Tibi dabo claves regni cœlorum.* Ib. Homini, non Angelo, non alteri dat: sunt claves regni Cœlestis, Quis ergo hominum desperet cœlum, quin ab homine & per hominem, nempe per D. Petrum & successores ejus sit intromittendus. Disce de consequenda regno cœlorum & misericordia Dei nunquam desperare. I. ult. P. 4.

## In Festo Visitationis B.M.V.

**E**xurgens Maria abiit in montana. Luc. 1. Disce non pigrum, non ociosum esse, sed labori datum. I. 38. §. 5. P. 2.

*Exurgens Maria abiit in montana.* Exurgere oportet de somno pigritiæ spiritualis & tepiditatis, & abire in montana, ad perfectionis apicem contendere. I. 38. §. 1. & 2. P. 2.

*Cum festinatione.* Ib. Festinandum est in via Dei & virtutis. I. 37. §. 3. & 4. P. 2.

*Intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Ib. Honorat Mater Dei cognatam suam visitatione sua, cum potius illam Elisabeth honoris ergo vilitare debuisset. Ast prævenit B. Virgo honorando Elisabeth, & salutando humaniter illam. Disce exemplo Mariæ honorare omnes homines. I. 8. P. 1.

*Abiit in montana cum festinatione in Civitatem Juda.* Ib. Cur ut visitaret Elisabeth: erat enim gravida saeo partu. Imitaberis Beatam Virginem, si infirmum visitare non neglexeris occasione datâ. I. 16. P. 1.

*Exurgens Maria intravit in domum Zachariæ.* Venit Superior ad inferiorem, Maria ad Elizabeth, Christus ad Joannem. Disce à B. Virgine, humilis esse, elationem & superbiam fugere. I. 34. P. 2. & 69. P. 2.

*Benedicta tu inter mulieres.* Ib. Cur inter mulieres benedicta? Quia matris dignitatem obtinuit, & tam Virginalem pudicitiam non amisit. Vis & tu Christiane benedictus esse inter alios? Castitatem amata & serva, benedictus eris. I. 65. P. 3.

Mag-

*Magnificat anima mea Dominum.* Ib. Audierat B. Virgo , multa & magna præconia sibi ab Elisabetha attribuit; quod esset benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris sui. Quod esset mater Dei & Domini sui ; quod exultaverit in gaudio infans in utero ejus , dum audiret vel solam vocem salutantis MARIÆ. Ast omnes has prærogativas & laudum præconia B. Virgo in Deum refert , & in solo Deo gloriatur. *Magnificat (ait) anima mea Dominum.* Disce bonum, si quod in te videris, adscribere Deo , non tibi. I. 42. P. 2.

*Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me.* Ib. Humiliat se Elisabeth , indignam se aestimans, ut matrem Dei in proprias ædes acciperet. Disce humilis esse, nec meritis tuis quidquam attribuere. I. 68. P. 4.

*Et ait Elisabeth , magnificat anima mea Dominum , & exultavit Spiritus.* &c. Ib. B. Virgo alias in verbis semper parca, solum in Dei laudes fuit effusissima. Dum Angelo colloqueretur, semper paucis est usus verbis ; multò magis dum hominibus Angelum paucis verbis expedivit, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Item : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Dum autem Deus fuerat laudandus, prolixia in verbis & sermone fuit; dulcissimum illud canticum decem versuum (Magnificat) decantando. Disce à Virgine Beata, esse parcus in verbis ; ostium semper à malo & pravo eloquio custodiare; multum loqui non amare, nisi quæ ad Deum sunt; verba vana & præcisè risui apta non loqui. I. 52. 53. 54. P. 3.

## In Festo S. Mariæ Magdalena.

**R**Emittuntur ei peccata multa , quia dilexit multum. Disce Dominum Deum ex toto corde diligere ; amori Christi nil præponere. Peccata præterita cum lacrymis Domino confiteri, & te post hac

hac emendare. De misericordia Dei nunquam despe-  
ré. Omnia hæc Instrumenta pro concione de S. Mag-  
dalena servire poterunt. Vide I. 1. P. 1. I. 21. P. 2. I. 58.  
& 59. P. 3. I. ult. P. 4.

## In Feste S. Jacobi Apostoli.

**C**alicem quidem meum bibetis. Matt. 20. Scilicet calicem aquæ vivæ, salientis in vitam æternam. O felix calix æternæ vitæ, quem Christus proponit in cœlo his, qui calicem passionis cum illo biberunt in terra. Pete anima Christiana de hoc calice bibere; Felix calix, qui semel haustus sitim perpetuò extinguit, & vitam dat æternam. Disce vitam æternam omni concupiscentiâ spirituali desiderare, & ejus amore nulla mundi adversa formidare. I. 46. P. 2.

Nescitis, quid petatis. Ib. Tu quoque Christiane nescis quid petas, si aliud petis, quam pati cum Christo & pro Christo, & sic intrare in gloriam Christi. Hinc disce pati & patiens esse; malum pro malo non reddere; injuriam non facere, sed factam patienter sufferre; inimicos diligere; maledicentes non remaledicere; persecutiones sustinere. &c. I. 29. 30. 31. 32. 33. P. 2.

Jacobus inter primos Apostolos vocatus cum fratre, reliquo Patre & retibus secutus est Dominum. Ex lect. Secundi Noct. Disce exemplo D. Jacobi vocationi tute & inspirationibus Divinis morem gerere; amori Christi nil præponere, non Patrem, non Matrem, non retia, delicias, divitias, &c. Sed abnegare disce hæc omnia & te ipsum, ut sequaris Christum. I. 10. P. 1. Et 21. P. 2.

Is unus fuit ex tribus Apostolis, quos Salvator ma-  
xime dilexit. Ib. Unde hos maxime dilexit præ aliis?  
Quia hi maximè præ aliis dilexerunt Deum. Vis di-  
ligi à Deo? dilige. Vis maximè diligi? Dilige maximè.  
Vide

Vide I.1. P.1. Dominum Deserit diligere, ex toto corde, et  
tota anima, ex omnibus viribus.

In Iudea & Samaria Christi divinitatem praedicans, plurimos ad Christianam fidem perduxit. Ib. En Zelutum animarunt, & charitatem erga proximum, quæ ipsum plane in Hispania traxit, ut aliquos ad Christum converteret. Nonne proximum amavit hunc seipsum, ita plus quam se, dum animam suam pro eo posuit. Disce & tu amate proximum sicut te ipsum. I. 2. P. 1.

Jacobum liberè Jesum Christum Deum confiterentem capit is condemnavit. Ib. Disce veritatem corde & ore proferre, et si forte haec odium patiat, aut aliquid propter ea subire deberes. I. 28. P. 2.

Lector i suo, qui eum ad tribunal duxerat, libenter venians dedit, ex osculans eum, & dicens: Pax tibi sit. Lect. ult. II. Noct. Disce à S. Jacobo, charitatem non derelinquere; non solum injuriam non facere, sed factam patienter sufferre; inimicos diligere; cum discordantibus in pacem redire. Pacem falsam non dare; pro inimicis orare. I. 25. 26. 29. 30. 31. P. 2. Item I. 66. 71. & 72. P. 4.

Uterque securi percussus est. Ib. Vitam dare maluit, quam abnegare Christum. Disce amori Christi nihil præponere. Deum super omnia diligere. Persecutiones pro iustitia sustinere. I. 1. P. 1. Item I. 21. & 33. P. 2.

### In Festo S. Annæ.

**B**ona oratio cum jejunio & eleemosyna. Tob. 12. S. Anna Christi Avia per 20. annos tradidit mansisse in conjugio sterilis, impetravit tamen tandem assiduitate precum, jejuniorum & eleemosynarum tales ptolem., quæ benedicta esset inter omnes mulieres. En efficaciam orationis, eum jejunio & eleemosyna conjunctæ! Coniunge & tu Christiane virtutes illas. Si virtus unita fortior est, sane haec virtus

tus triplex & conjuncta fortissima est. Quid Deus ipse  
vincitur. I. 13. & 14. P. 1. et I. 57. P. 3. Poteris de singu-  
lis aliquid dicere.

*Proventus siuos temporales S. Anna trifariam divi-  
debat & expendebat. Nempe in templi cultum, in usum  
pauperum, & in domestican necessitatem. Disce S. An-  
nae exemplo imprimis Deum querere & cultum  
eius, eumque diligere; deinde proximum sicut teip-  
sum, pauperes r. creare, nudos vestire, in tribolatione  
subvenire: ultra necessitatem nil reservare, seu divi-  
tias non concupiscere. I. 1. 2. 6. 14. 15. 18. P. 1.*

Post diuturnam 20. annorum sterilitatem &  
longam patientiam ob infelicem sortem sterilitatis  
(quæ illo tempore habebatur pro infamia) S. Anna à  
precibus non cessavit, spem suam semper in Domi-  
no reponens, quas tandem Deus exaudiuit, & per  
Angelum nunciavit, quod paritura esset filiam, Ma-  
riæ nomine nuncupandam, quæ omnes superiorum  
etatum illustres Heroinas longè esset superatura. Dis-  
ce Deum constanter orare, eiso non tempus statim  
exaudiatur. Disce spem tuam Deo committere, licet  
quandoque petita solatia differantur. Sepe si petita  
differuntur, commutantur in meliora, & majora ac-  
cipis, quam petiveris. I. 57. P. 3.

Anna 20. annis inter spem & metum suspensa,  
prole in petuit. Et ecce constanter sperando in Domi-  
no, tandem insperato prolem suscepit, quæ esset Re-  
gina Sanctorum omnium; quæ ab aeterno Patre in  
Filiam, à Elio in Matrem, à Spiritu Sancto in Spō-  
sam eligeretur. Disce in omnibus adversis ipem tuam  
Deo committere. I. 41. P. 2.

S. Anna ut vel voto suo, vel inspiratiōni divinæ  
satisficeret, scip̄a major, maternum affectum vincere  
& à filia sua dilectissima separari voluit, mox illam  
Deo offerendo, seu ad templum ducendo, & illiē Deo  
prælentando. Disce nihil Deo, nihil amori Christi  
præpo-

præponete: voluntatem propriam aut innatum affectum mortificare & abnegare, & instar charæ filia Deo præsentare. I. 1. P. 1. I. 21. P. 2. Item I. 61. 62. 64. P. 3.

## In Festo S. Laurentii.

**N**isi granum frumenti cadens in terram mortuam fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuam fuerit, multum fructum affert. Joan. 12. Morete quotidie Christiane, si quotidie fructificare velis Deo & tibi. Moriendum quotidie est, non privatione viæ, sed meditatione mortis. Disce mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Sic quotidie moriendo, quotidie multum fructum afferes. Lege I. 47. P. 2.

*Nisi granum frumenti cadens in terram mortuam fuerit, ipsum solum manet.* Per granum intellige hominem Christianum in agro Ecclesiæ seminatum, vel Religiosum in agro Religionis. Huic Christus dicit, prius moriendum esse, quam fructificet. Quamdiu grana seminata manent integra & non corrumpuntur, nec in se pereunt, nullus fructus sequitur, sed manet granum unicum & illud antiquum; si autem corrumpantur, fruges enascuntur copiosæ. Debet mori tibi & concupiscentiis tuis, te ipsum abnegare, si velis in virtute proficere & fructum referre. I. 6. & 10. P. 1.

*Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*  
Ib. Corpus tuum mortifica, & quasi in mortem trade, in servitutem redige, delicias corporis non amplectendo, desideria carnis non perficiendo. Si sic mortuum fuerit corpus tuum, multum fructum afferet, secus nullum. I. 11. & 12. P. 1. Et I. 60. P. 3.

*Qui amat animam suam, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam, inveniet eam:* Ib. Amando voluntatem propriam, sensum & judicium proprium, perdis te ipsum. Disce voluntatem propriam odire. I. 61. P. 3.

*Si quis mihi ministrat, me sequatur. Ib. Vis esse Minister Christi, sequere Christum. Sequendo Christum sis Minister Christi. Non potes magis servire illi & placere, quam sequendo illum. I. 10. P. 1.*

*Ubi ego sum, illic & Minister meus erit. Ib. Adeo ministros suos diligit Christus, ut ubi ille est, velit etiam esse ministros suos. Semper cupit & gaudet esse cum illis. Si sic te Christus diligit, disce & tu amori Christi nil praeponere. I. 21. P. 2.*

*Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Ib. Etiam servos suos honorificat Deus. Quid ni tu majores, aequales, inferiores (verbo) omnes homines habeas in honore? I. 8. P. 1.*

*In traticula te Deum non negavi, & ad ignem applicatus te Christum confessus sum. Ex Breviar. Disce amori Christi nil praeponere, sed constanter illi etiam in adversis adhaerere. I. 21. P. 2.*

*Gaudet plane, quia hostia Christi effici merui. Ex Brev. Gaudet in adversis Laurentius, ut & tu discas persecutiones quandoque pro justitia libenter, si non gaudenter sustinere. I. 33. P. 2.*

*Dispergit dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. Psal. III. Laudatur S. Laurentius a misericordia in pauperes, quod per signum crucis eoccos illuminaverit, & thesauros Ecclesiae dederit pauperibus; quod in pauperum vicetu atque vestitu inaccessibiles considerit facultates, ut loquitur S. Leo in Natal. S. Laur. Disce Laurentium imitando pauperes recreare, nudum vestire, tribulatis subvenire. I. 14. 15. 18. P. 1.*

## In Festo Assumptionis B.V.M.

**H**uc erat Soror, nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini, audiebat Verbum illius. Luc. 10. Laudatur propterea a Christo, quod optimam partem elegerit, sedendo ad pedes Domini, & audiendo verbum illius. Disce ergo & tu lectiones sa-

cras & Verbum Dei libenter audire præ aliis vanis,  
Hoc si eligis optimam partem elegisti. I. 56. P. 3.

*Maria optimam partem elegit.* Ib. Scilicet manendo penes Christum, sedendo ad pedes ejus, & illius amori nil præponendo. Elige & tu partem optimam, Deum super omnia quare & dilige; Christi amori nil præpone, ab eo te nunquam separari permitte. Id si feceris, partem optimam elegisti. I. 1. P. 1.  
Et 21. P. 2.

*Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli.* Ex Breviar. Gaudebunt Angeli, si & tu cum Virgine Beata illuc ascendas. Et quia nondum es dignus ascendere corpore, saltem mente cogitatione & desiderio illic sepius evola, vitam æternam omni concupisciens, sp̄irituali desiderando. I. 46. P. 2.

*Mulier quadam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat Soror nomine Maria.* Luc. 10. Non frustra Martha & Maria ponuntur fuisse Sorores, in una domo habitantes, & Christum excipientes. Per Martham vita activa, per Mariam contemplativa vita exprimitur. Haec vitæ conjunctæ in Religioso & Christiano esse debent velut sorores. Unde enim non sufficit sine altera. Meditatio enim sacrum & spiritualium rerum non est aliquid, sine bono opere, nec opus bonum est aliquid, aut saltem nondiu durans, sine orationis studio & spiritualium regum meditatione vel lectione. Disce ergo haec in una conjungere & in ambobus te exercere, scilicet meditando in lege Domini die ac nocte, & præcepta Dei ac monita, sive ea, quæ meditaris, factis sollicitè adimplendo. I. 56. Et 64. P. 3.

*Maria optimam partem elegit.* Luc. 10. Laudatur, non quod bonam partem elegerit, sed quia optimam; ut & tu Religiose aut Christiane disceres, non bonam tantum partem, sed optimam eligere, id est non esse contentum quocunque profectu, sed conari, ut

ut ad summum pervenias. Qui enim non studet ad optimam partem pervenire, id est indies magis proficere, suæ non satisfacit obligationi. Vide I. 38. contra tepiditatem. P. 2.

*Exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad celestia regna. Ex Breviar. Cur & quomo-  
do super choros Angelorum? Exaltationem hanc Vir-  
ginitatis merito adscribit S. Joan. Damasc. Qui post  
partum (inquit) incorruptam servavit ejus ejus Virgi-  
nitatem, eidem etiam placuit, ipsius immaculatum tor-  
pus incorruptum servare, & tali translatione honorare.  
Vide lect. fer. IV. infra Oct. Allum. Ex hoc colliges,  
quod castitas & Virginitas faciat hominem non so-  
lum parem, sed & maiorem & altiorem Angelis. Vis  
& tu exaltari? castitatem ama. Quo magis castitatem  
amaveris ac servaveris, eo altius exaltaberis. Vide  
I. 65. P. 3.*

## In Festo S. Bartholomæi,

*E*xistit Jesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione. Lue. 6. Electus Bartholomaeum in Apololum, aliosque Apostolos creaturam, orationem praeditum, & pernoctat in illa. Disce & tu libenter, serventer, frequenter & constanter orare, dum bonum aliquod aggredieris faciendum. I. 57. P. 3.

*Erat pernoctans in oratione, & cum dees facta es-  
set, vocavit discipulos suos. Ib. Adeo saluti hominem in-  
vigilat Christus, ut noctem totam traduceret in-  
ommem, & manem mox Discipulos vocaret. Disce &  
Christo & Discipulis somnolentiam excutere, cor-  
pus exstigare, delicias non amplesti. I. 11. & 12. P. 1.  
Et I. 37. P. 2.*

*Venerant ut audirent eum. Ib. Convenit turba  
discipulorum, & multitudo copiosa plebis; itaque ab  
omni Iudea, Ierosalem &c. Currunt audirent eum.  
Disce ex hoc audiendi diuini verbi fervore, lectiones  
sacras libenter audire I. 56. P. 3.*

Omnis turba quærebat eum tangere. Ib. Cur? Quid fiduciam habebant & spem in Christum, quod sanare eos possit, & sanaturus esset a languoribus suis. Disce & tu spem tuam Deo committere. I. 41. P. 2.

Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Ibidem. Nullum malum insanabile est a virtute Christi. Sed major est virtus Christi omnibus malis. Disce ob grævitatem aut multitudinem peccatorum tuorum de misericordia Dei nunquam desperare. I. ult P. 4.

Bartholomæus cum in India citeriore plurimos ad Jesum Christum convertisset, multos labores calaniatesque perpeccitus est, idq; amore proximi, quem volebat converti. Lect. 2. Noct. ex Brev. Disce & tu proximum diligere. I. 2. P. 1. Persecutiones pro justitia sustinere. I. 33. P. 3.

Duodecim civitates ad Christianam fidem perditæ; Quæres in eum magnam invidiam concitatavit. Lect. 2. Noc. Turpe vitium invidia & Zelus stultus; Hunc depone Christiane, ni velis idolorum sacerdotibus deterior esse. I. 67. P. 4.

Permittit S. Bartholomæus potius sibi detrahi pedem, abscindi caput, quam ut a fide & amore Christi affleceret. Disce amori Christi nil præponere, sed dum diligere ex totocorde & omnibus viribus sapientia omnia. Inst. 21. P. 2. & Inst. 1. P. 1.

A planta pedis usque ad verticem capitis Bartholomæo detracita pellit est. Detestare sevitiam tortoris. Affectum imitare Martyris. Pellem tibi detrahe, si confessoris fieri vis & socius S. Bartholomæi. Veterem horminem exue, novum indue; mala præterita deplora & depone; futura emenda. I. 58. & 59. P. 3.

Capitū abscissione tandem Martyrii palmarum præmeruit. Ib. Depone & tu caput proprium, voluntatem propriam, judicium proprium, Martyr eris. I. 61. & 62. P. 3.

# In Festo Angelorum Custodum.

Dom. I. Sept.

**E**cce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via. Exod. 23. Ubique præcedit te Angelus Dei, ubique te comitatur & custodit. Igitur in omni loco, in omni angulo Angelo tuo reverentiam habe. Cave illo præsente quidquam agere, quod me præsente aut vidente non auderes, & disce aetius vita tua omni hora custodire. I. 48. P. 2.

*Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Psal. 10. En solicitudinem & charitatem Dei erga te! Disce & tu Deum toto corde diligere & pro eo sollicitus esse. I. 1. P. 1.

*Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te.* Ib. Ministerium & custodia hominum injungitur purissimis & sublimibus illis spiritibus, naturæ, gratiæ & gloriæ dani homine (qui pulvis & umbra est) longè superioribus. Difficile mandatum! & tamen ad amissim libenter & gaudenter illud expletum; ut & tu disceres Praeceptis Abbatis in omnibus obedire, & Praecepta Dei factis quotidie adimplere. I. 62. & 64. P. 3.

*In manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pendem tuum.* Ib. En charitatem Angelorum erga hominem. Disce & tu Angelorum exemplo amare proximum tuum. I. 2. P. 1.

*In manibus portabunt te.* En humilitatem summam in Angelis, qui tam vile obsequium non detractant. Disce non esse superbum, elationem & jactantiam fugere. I. 34. P. 2. Et I. 69. P. 4.

*Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, quæ in celis est.* Matt. 18. Imitare & tu Angelos! Ubique defige oculos tuos in faciem Dei & Angelum tuum. Sive sic semper Deum & Angelum tuum respice, ut in omni loco te ab iis respici pro certo scias. Vide & applica I. 49. P. 2.

# In Nativitate Natæ Angelorum Reginæ, B. M. V.

**V**ide ea, quæ supra dicta sunt in Festo Conceptionis. Sicut enim immaculatè concepta fuit, sic multò magis fuit in nativitate immaculata. Unde omnia hue applicari poterunt. Præterea

*Jacob genuit Joseph, virum Mariæ.* Matt. I. Jacob interpretatur supplantator (intellige) vitiorum: Joseph verò augmentator, seu augmentum. Nonne felix est talis generatio! Qualis & in te & corde tuo esse deberet? Primò enim supplantare & eradicare deberes vitia, seu esse Jacob; deinde acquirere virtutes, & sic augescere cum Joseph. Hoc est male præterita cum lacrymis eluere, & de ipfismalis in posterum emendare proficiendo in Virtutibus. I. 58. & 59. P. 3. Sic f. nè fieres (si non vir) certè filius Mariæ, & cum Maria renascereris.

*Maria, de qua natus est Jesus.* Ib. De Maria non de alia Virgine nasci voluit Jesus, qui vocatur Christus. Cur? qui Virgo Virginum est, & omni puritate purior. Quæ enim vel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum filii Dei; inquit S. Bernardus. O. Assum. Lect. ult. II. Noct. Quia ergo Maria Virginitem omni Angelica puritate puriorē coluit, hinc nascitur de ea Christus. Vis ut & in te seu corde tuo nascatur Christus & ipsa Mater Christi, seu nata hodie Angelorum Regina? Puritatem cole, castitatem am; ab omni carnali forde cor tuum expurga, nascetur in te Christus & Mater Christi. I. 65. P. 3.

# In Festo S. Matthæi.

**V**idit Jesus hominem sedentem in telonio, & ait illi, sequere me. Matt. 9. Non patitur, nec pati potest Christus sedentes, ociosos, pigros, tepidos. Dicce non

non esse pigrum, aut tepidum; seu sedere in via virtutis, sed laborare & progredi oportet. I. 38. P. 2.

*Et surgens secutus est eum.* Ib. Considera Matthæum ad duo tantum verba mox surgentem & sequentem. Disce promptè præcepta Dei adimplere: Superioribus vocantibus obedire velociter, teipsum abnegare, ut Christum sequaris. I. 10. P. 1. Item I. 62. & 64. P. 3.

*Non veni vocare justos, sed peccatores.* Ib. En bonitatem Jesu, qui Matthæo nihil minus cogitante, imo etiam nihil minus promerente, venit super eum & vocavit eum; & discubuit in domo ejus cum turba multa publicanorum & peccatorum. Disce vel hinc de misericordia Dei nunquam desperare. I. ult. P. 4.

## In Festo Michaelis Archangeli.

**Q**uis putas, major est in regno cælorum? Matth. 18. Respondet Christus: qui humiliaverit se; eos vero qui se non humiliaverint, sicut parvulus ille, ne quidem intraturos in regnum cælorum. Unde & Archangelus Michaël magnus quidem in regno cælorum est, & hoc non obtinuit nisi humiliando se, & subjiciendo se Deo homini. Disce ergo superbiam fugere & elationem, si locum vishabere in cœlo. Si magnus vis esse in cœlo, magna sit humilitas tua in terra. Vide I. 34. P. 2. Et I. 69. P. 4.

*Michael & Angeli ejus præliaabantur cum dracone;* & draco pugnabant & Angeli ejus. Apoc. 12. Exemplo Michaëlis pugnandum cum dracone est; pugnando vincitur. Impugnat te draco suggestionibus & cogitationibus malis? Tu repugna; cogitationes malas ab eo suggestas mox ad Christum allide, aut Seniori spirituali patescas. Sic hostis ille antiquus vincetur a te. Vide I. 50. & 51. P. 3.

*Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum.* Matt. 18. Ne te scandalizet corpus tuum, disce corpus castigare, desideria carnis non perficere. I. 11.

P. 1. Et I. 60. P. 3. Ne te scandalizent sensus tui, aut propria voluntas tua, disce delicias (sensuum) non amplecti, voluntatem propriam odire, &c. I. 12. P. 1. Et I. 61. P. 4. Bonum est enim tibi sine his in vitam intrare, quam cum his mitti in gehennam.

Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam. Ib. Pro cœlo etiam oculos perdere & amittere lucrum est. Quidquid tibi charum est, pro cœlo totum perdere & relinquere operæ pretium est. Disce vitam æternam omni concupiscentiâ spirituali desiderare. I. 46. P. 2.

Videte, ne contaminatis unum eæ bis pusilliæ. Ib. Monet Christus, ne quenquam hominum contemnamus, quantumvis pusillus & parvi momenti esset, quia quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Contemnendus nemo est, nec quidquam faciendum alteri, quod quis non vellet fieri sibi, ne offendendo homines, offendamus & Angelos eorum; ne Angeli eorum, qui semper vident Deum, accusent nos apud Deum. I. 9. P. 1.

## In Festo seu Dom. Rosarii.

**B.** V. Maria divinitus S. Dominicum admonet ac jubet, ut Rosarium populis omni fervore prædicet; ed quod hujusmodi oratio singulare sit praesidium ad extinguenda vitia & hæreses. Ex Lect. 2. Noxt. Vigent in te vitia? vis illa extingui? Orationi frequenter incumbe. I. 57. P. 3.

Iterum B. Virgo immensa lumine circumdata Fratrem Alandum monet, ut tum ipse, tum ejus socii Prædicatorum collapsam sacri Rosarii devotionem totis viribus restituerent; siquidem hoc Genius orandi promptum at facile, esset sibi gratissimum. Ib. Curtam gratum est Virginis hoc genus orandi? Quia promptum & facile. Disce ergo orationis (præfertim Rosarii) frequenter incumbere, si Virginis Mariæ vis gratus esse. Frequens oratio est contra quævis adversa præsens auxilium. Ibidem.

Orat.

*Oratione Rosarii celebri illa vittoria ad Naupactum Achaici sinis contra Turcas parta est Anno 1571. Die 7. Octob. quæ erat Dominica. De qua vittoria vide Lect. II. Noct. Vis & tu reportare aut reportari victoriam de hostibus ora. Orationi frequenter incumbe, nempe Rosarii. Quia quo brevior hæc est oratio, eò potest & solet esse frequentior. I. 57. P. 3. Invenies illie valde apposita de efficacia orationis pro obtinenda contra hostes vittoria.*

## In Festo Simonis & Judæ.

**H**ec mando vobis, ut diligatis invicem. Joan. 15. Duorum Apostolorum festivitatem una cœlebritate colimus: quia juxta S. Gregorium duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor & proximi: & minus quam inter duos charitas haberi non potest. Ut hanc festivitatem dignè celebres, vide, num regnet in te amor Dei, & proximi? I. 1. & 2. P. 1.

*Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Ib. Odium turpe vitium, sed commune in mundo. Tu si non vis de mundo esse, & cum hoc mundo damnari, disce neminem odiisse. I. 66. P. 4.*

*Si de mundo fuissetis, mundus (quod suum esset) diligenter. Ib. Mavisne Christiane à mundo vel à Christo diligiri? Si à Christo? mundum relinque & facultum; sive à sæculi actibus te fac alienum exemplo Apostolorum Simonis & Judæ. I. 20. P. 2.*

*Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Ib. Disce exemplo Christi & Apostolorum persecutio[n]es pro iustitia libenter sustinere. I. 33. P. 2.*

## In Festo omnium Sanctorum.

**G**audete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matt. 5. Vita æterna omni concupiscentiâ spirituali desideranda. I. 46. P. 2.

*Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum celorum. Ib. Disce consolatus esse in paupertate, & alios consol-*

**consolari**: quia qui pauperes sunt, divites sunt. **Hoc** rum enim est regnum cœlorum. I. 19. P. 1. 5. 3. & 4. **Vel: Ipsorum est enim regnum cœlorum.** Etiam pauperes Reges sunt. Ipsorum enim est regnum cœlorum; licet plerumque soleantur contemni. Disce honorare omnes homines I. 8. P. 1. **Vel: Beati pauperes Spiritu;** id est non inflati, non elati, ut explicat S. Aug. Disce superbiam, elationem & jactantiam fugere, si regnum cœlorum vis possidere. I. 34. P. 2. Et I. 69. P. 4.

**Beati mites.** Ib. Disce iram non perficere; iracundia tempus non reservare, dolum in corde non tenere. I. 22. 23. 24. P. 2.

**Beati qui lugent.** Ib. Disce in luctu esse consolatus, & dolentes consolari. I. 19. P. 1.

**Beati misericordes**, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Ib. Disce misericors esse erga pauperes, si vis misericordiam consequi. I. 14. & seq.

**Beati mundo corde**, quoniam ipsi Deum videbunt. Ib. Vis Deum videre? puritatem amatum corporis, tum cordis. I. 65. P. 3.

**Beati mundo corde.** Ib. Cor mundum gerit, qui cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidit, aut Seniori spirituali patefacit. Sic enim nunquam perveniet ad actum malum. I. 50. & 51. P. 3.

**Beati pacifici.** Ib. Disce pacem falsam non dare, charitatem non derelinquere, cum discordantibus in pacem redire, inimicos diligere, pro inimicis orare. I. 25. 26. & 31. P. 2. Item I. 71. & 72. P. 4.

**Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.** Ib. Vide I. 33. P. 2.

**Beati eſti**, cum maledixerint vobis homines. Ib. Disce maledicentes non remaledicere, sed magis benedicere. I. 32. P. 2.

**Et persecuti vos fuerint,** & dixerint omne malum aduersum vos. Ib. Disce malum pro malo non reddere.

se, neminem persecui sed persecutiones sustinere; non facere injuriam sed factam patienter sufferre. Sic enim beatus, seu è numero beatorū eris. I. 29 & 30 P. 2.

*Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Ib. Idest veritatem & æquitatem. Disce veritatem corde & ore proferre, non falsum testimonium dicere, &c. I. 7. P. 1. Et I. 28. P. 2. Item non occidere, non adulterari, non furtum facere, non concupiscere bona aliena, Hæc enim iustitiae sunt. Vide I. 3. 4. 5. 6. P. 1.

## In Festo S. Catharinæ.

**E**cce sponsus venit, exite obviam ei. Matt. 25. Omnis anima Christiana est Christi sponsa, saltem si Virgo est, id est ab omni peccati sorde immunis. Vide ut Sponso tuo fidelis sis: nec in alienos amores te immitte. Vide I. 4. & 12. P. 1.

*Dormitaverunt omnes & dormierunt.* Ib. Ut semper parata sis occurrere Sponso, disce non dormire, non pigritare cum fatuis virginibus anima Christiana; nunquam deficiat oleum charitatis, semper vigila, quia nescis diem neque horam, quando te vocabit sponsus tuus. Hinc adventum sponsi seu diem iudicii & mortem quotidie ante oculos suspectam habet actus vitae tuæ omni hora custodi, I. 14. 15. 16. 17. 18. P. 1. Item I. 37. 38. 44. 47. 48. P. 2.

*Prudentes vero acceperunt oleum in vasis cum lampadibus.* Ib. Verè prudens Virgo fuit B. Catharina, seu una è numero prudentum. Nam semper secum circumtulit oleum charitatis erga Deum & proximum, Rapiebatur amore in Deum, ut pro illo subire mortem & martyrium non dubitaret. Disce Deum super omnia diligere & illius amore nil praeponere. I. 1. P. 1. Et I. 21. P. 2. Rapiebatur & amore in proximum; dum Doctores disputando illustrare & convincere de veritate laboravit, atque ad fidem veram & salvificam convertere. Quibus etiam cervice amputata loco sanguinis lac Virginum propinavit, quo illos tanquam ratione

rationales infantes, lac sine dolo concupiscentes (ut Scriptura loquitur) alere, & in fide confirmare voluit. Vide, ne tibi lampas tua seu charitas erga proximum extinguitur. Sed disce eum sicut te ipsum diligere, nullum odire, quamvis sit adversarius tuus. I. 2. P. 1. Et I. 26. P. 2. Item I. 66. P. 4.

*Catharina Maximino nefariam immanitatem in Christianos objicit, & sapientissimis rationibus Christi fidem ad salutem esse necessariam, palam & audacter affimat. Ib. Disce veritatem corde & ore proferre, esto forte malum aliquod propterea tibi impendat. I. 28. P. 2.*

*Maximinus Catharinam blanditiis & promissis de sententia & Christi amore deducere aggreditur. At frustra. Hinc verberibus affectam, plumbatisq; contusam, dies undecim sine cibo & potu, in carcere tenet inclusam. Tandem eductam de carcere securi percuti imperat. Ex Brev. Omnia haec subire Catharinam maluit, quam ab amore Christi recedere. Disce & tu amori Christi nil praepone, & vel leviores persecutions pro justitia quandoque libenter sustinere. I. 21. & 33. P. 2.*

*Catharina fortiter dato capite, ad duplicatum Virginitatis & Martyrij præmium evolavit. Leet. ult. O si tibi vel simplex cœli præmium obveniret, quam felix es! Imo verò vis, ut tibi non simplex sed duplex corona obveniat in cœlo? Virginitatem (si virgo es) aut castitatem ama. Non enim ideo laudabilis Virginitas & castitas, quia in Martyribus reperiuntur, sed quia ipsa Martyres facit. Castitatem ama, amatam serva & propugna; Martyr eris. Et hac una simplici virtute ad duplicatum castitatis & Martyrij præmium evolabis. Lege I. 65. P. 3.*

# F I N I S.

**H**abes Amico Lector indicem promissum Dominicarum & Festerum saltem precipuorum, sive eorum, qha festivè celebrantur communiter. Ceterum si velis aut debeas sermonem facere de aliquo alio Sancto, Patrono Ordinis, vel certè Ecclesiae, aut recens Canonizato. ( &c. ) eaq; facile de quovis alio concionem formare poteris. Quia nullus Sanctorum est, qui non in aliqua harum virtutum excelluerit, qualis in his septuaginta tribus Instrumentis fuse deduciam & laudatam reperies. Unde hujusmodi Instrumentum pro Concione de tali Sancto facile poterit servire, in quo talem Sanctum videris excelluisse. Puta in amore Dei aut Proximi, in abnegatione sui, corporis castigatione, deliciarum fuga, jejunii amore, in pauperum sublevatione, &c. Quomodo hic aut ille Sanctus à seculi actibus se fecerit alienum, quomodo amori Christi nil proposuerit, quomodo iram non perfecerit, iracundia tempus non reservaverit, dolum in corde non tenuerit, charitatem nos dereliquerit, veritatis amans fuerit, malum pro malo non reddiderit, injuriam non fecerit, sed factam patienter sustinerit. Quomodo persecutioes pro justitia sustinuerit fortiter, superbiam fugerit aut vinolentiam, edacitatem vel somnolentiam. Quomodo impiger fuerit, seu non quam ociosus, non murmuriosus, non detractor. Quomodo spem suam semper Deo commiserit, nihil boni sibi sed Deo adscriperit; malū vero sibi. Et alia hujusmodi. Omitto reliqua virtutū & bonorum operum Instrumenta. Erit enim aliis Sanctorum, qui diem

diem judicii timuit, qui gehennam formidavit, vi-  
tam eternam omni compiscentia spirituali deside-  
ravit, mortem quotidie ante oculos suspectam ha-  
buit, actus vita sua omni hora solerter custodivit, in  
conspicere Dei an. bulans, & in omni loco Deum ser-  
spicere pro certo sciens & semper recogitans. Alius  
forte commendabilis erit a taciturnitate & custo-  
dia linguae, os suum a nialo, pravo, & vano eloquio  
custodiendo, multum loqui non amando, aut non  
nisi seria loquendo, missis vanis & risum moventi-  
bus verbis. Alius derique laudari poterit a Verbi  
Divini & sacrarum lectionum auditione, ab ora-  
tionis assiduitate, a dono lacrymarum & peniten-  
tia de peccatis, ab odio, quo ferebatur in carnem  
propriam, ab abnegatione propria voluntatis, a  
promptitudine obedientiae, a sua elationis & ja-  
cialtie, ab iniunicorum dilectione & opitulatione,  
a custodia mandatorum Dei. &c. Unde (nisi fallor)  
decem Instrumenta habes pro uno Amice Lector,  
qua tibi pro concione & commendatione cuiuscun-  
que Sancti servire poterunt, si modo vitam illius  
perlegere, & post hac seriem Instrumentorum omnia  
nim, seu Indicem singularium Partium percurra  
vel vicia, qua vitalis Sancti erunt accommodatae.  
Igitur Indicem hunc Concionatorium finiendo Le-  
tor benevoli boni consule laborem & finem.

Ceterum premisi in fontispicio hujus operis &  
singularium partium, hoc opus (seu Instrumenta  
contenta) servire posse non solum Religiosis, sed om-  
nibus

vibus Ecclesiasticis, & Verbi Divini Praeconibus, imo  
& Secularibus, & quibuslibet piè vivere voluntibus  
Christianis. Esto te hoc expertum aut experturum  
Lector benevole. Nec putas hac Instrumenta ad solos  
Monachos, vel solos Benedictinos, Religiosos ué pertin-  
nere, non vero ad alios. Licet enim hæc Instrumenta  
in Regula S. P. Benedicti prescripta sint, non sequi-  
tur, quod non propterea sint aut esse possint etiam  
Secularibus & omnibus Christianis utilia & neces-  
saria. Ut vel ex hoc ipso videas, S. P. Benedictum non  
solum filii suis & Monachis, sed omnibus Christianis  
& communni bono Ecclesie per suam sanctam Regu-  
lam consuluisse. Solum superest, ut ubi ego in Instru-  
mentis adductis & fusè de cunctis adhibui nomen  
Religiosi. Tu Lector benevole (si talis non es, sed Lai-  
cus) aut certè ad Laicos ex illis sermonem habere  
velis, nomen Religiosi (seu legendo, seu pro concione  
dicendo) mutes in nouen Christiani. Temetipsum,  
vel alium alloquens (quando ego Religiosum) Age  
anima Christiana, age Christiane, age Sodalis  
Mariane, &c. Hac si feceris, videbis omnia etiam  
quadrare tibi.

Unum adhuc te monitum velina Lector Ami-  
te, quod quidem hunc Indicem præcipue in gra-  
tiam Concionantium suscepimus eleborandum. Re-  
ipsa autem non solis Concionatoribus, sed & qui-  
buslibet aliis Ascetis, & virtutis, profectusque sui  
amatoribus poterit prodesse. Dixi enim in Prafa-  
tione prima Partis, quod istud IV. Sacra Regula Ca-  
pitulum, plus quam aueremus, de Instrumentis bo-

norum operum, sit totius sacrae Regule, immo totius  
 Evangelicae perfectionis compendium quodque multi  
 pii Religiosi pro singulis diebus vel hebdomadis sin-  
 gulare sibi Instrumentum (unum vel plura) delige-  
 re soleant, ut illi operi & virtuti die illa vel hebdo-  
 mada specialem navent operam, & tale opus pra-  
 aliis exerceant, ut vel sic indies in alia & alia vir-  
 tute proficiendo, proficiant de die in diem. Quod si  
 & tu Christiane (praesertim si Religiosus, aut Bene-  
 dictinus es) velis in virtutibus proficere, & virtu-  
 tum studium serio assumere, ac ire de virtute in  
 virtutem, proficiendo de die in diem, poteris tibi fa-  
 cile alia & alia Instrumenta diligere, correspon-  
 dentia Evangelio Dominica vel Festi, juxta Indi-  
 cem adductum, & in iis te per hebdomadam exer-  
 cere, exercitio me hercule multum proficuo. Nec opus  
 erit semper totum Instrumentum, quod tangitur,  
 legere, sed sufficiet illius notitiam vel obiter habere,  
 nec erit opus mittere sortem more aliorum, quad-  
 nam Instrumentum tibi tenendum & eligendum  
 sit hac die, hanc hebdomadam, sed (si placet) illa elige,  
 qua adductus Index conformiter ad doctrinam  
 Evangelicam Christi, aut ad vitam & facta alicu-  
 ius Sancti indigitabit. Si placet labor & in-  
 tentio, fruere illis Lector benevolè, & mei apud  
 DEUM memor vive, fave &  
 vale.









